



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

fit occultum, id est, non publicum. 3. vi
 adfuerit bona fides saltem ex parte al
 terius contrahentis, ignorantis illud
 impedimentum. 4. vt coniux qui id
 ignorauit, certior fiat de prioris con
 sensus nullitate, non tamen necessario
 de impedimento nisi in genere. Sanch
 & alij. *ibid. ref. 116. 117. 118. & 119.*

C.

CÆCVS.

1 **Q**ui planè cæci sunt, vel surdi, ve
 muti, possunt tanquam personæ
 miserabiles declinare forum ciuile, &
 agere in Ecclesiastico. Nauar. & alij.
 Item sunt immunes à muneribus pu
 blicis ciuilibus, neque possunt propter
 delictum puniri pœnâ ordinariâ. *part. 1*
27. 6. ref. 30 33. & 31.

2 Cæcus potest esse fideiussor, non au
 tem muti, & surdi, nisi sponte id fa
 ciant, & non à Notario, vel alio frau
 dulenter inducti, idque præstent scri
 ptis. *ibid. ref. 29.*

Cambium.

3 **C**vm pro campfario responde
 procurator campforis, de ipsius
 campfo

campfotis pecuniis, videtur cambium esse licitum, modò campfor non habeat peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solutionis. Neque tantùm est licitum inter mercatores, sed etiam continuare licet inter personas priuatas. Lessius & alij 12. p. 1. tr. 8. ref. 1. & 2.

2 Recambium est licitum non tantùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sed etiam ratione emptio- nis & venditionis. Scortia. *ibid.* ref. 5.

3 Ex inueteratâ consuetudine, pro prouisione cambij, debetur tertia pars scuti pro singulis centenis; idemque sumi potest pro prouisionibus recambio- rum, & continuationum toties quo- ties. Ego verò sum auctor campforibus, vt in continuationibus non sumant à campfariis integrum interesse cambij. Lessius & alij *ibid.* ref. 6. 7. & 8.

4 Potest campfor toties quoties, reci- pere duas prouisiones, vnam in loco vbi fit cambium, alteram in nundinis, per suum præcuratorem, seu agentem, ob laborem eius. Scaccia. *ibid.* ref. 10.

5 Campfor iure percipit maius lucrū pro magno cambio, quàm pro paruo, ratione periculi. Scortia. *ibid.* ref. 10.

6 Possunt campfores id quod sibi de- betur

E

betur

betur pro prouisionibus & interesse, ad
dere ad sortem, ratione lucri cessantis.
Less. & alij 2. *ibid. ref. 31.*

7 Consuetudo campforum de non ac
ceptandâ solutione sortis, nisi simul
soluantur detrimenta cambiorum, est
licita. Malder. & alij 3. *ibid. ref. 12.*

8 Campfores dantes ad cambium mo
do supradicto, non sunt in foro exte
no tamquam vsurarij puniendi. Salua
torius. *ibid. ref. 13.*

9 Campsor qui bonâ fide dedit pecu
niam Petro ad cambium, soluendam
Messanæ, & postea comperit ipsum
non habere ibi pecuniam; potest ab eo
tantum exigere, quantum lucri perce
pisset, si Petrus Messanæ soluisset. Mo
lina & Lessius *ibid. ref. 14.*

10 Si campsor à principio paciscatur
cum campfario certum ac determina
tum interesse, etiam in casu non solu
tionis, modò moraliter constet illud esse
iustum, non peccat mortaliter. Less
sius & alij 2. *ibid. ref. 15.*

Canonicus.

1 **C**Anonicus qui recitat quidem of
ficium in choro; sed non canit
etiam ex iure antiquo, & primâ institu
tionem

tionem, videatur peccati mortalis reus; tamen ratione consuetudinis excusatur, & potest percipere distributiones quotidianas, saltem mediam partem. Lessius & alij 8. p. 2. tr. 12. ref. 6. & 33.

2 Canonici notabiliter confabulantes in choro, peccant mortaliter, & tenentur ad distributionum restitutionem. Suar. & alij 9. licet de restitutione quidam negent. Garfias & alij 4. *ibid.* ref. 7. Quod iam iudico absolute probabile ex auctoritate Sanchez: dantur enim ex distributiones, ut chorum suam presentiam cohonestent. Quare, etsi nec ibi, nec priuatim recitarent horas, non tenerentur ad earum restitutionem; quia hæ non includuntur sub nomine fructuum. Sanchez. p. 4. tr. 4. ref. 149.

3 Canonici cæcus, vel surdus, potest abesse à choro, & tamen lucrari distributiones. Barbof. & alij 2. part. 3. tract. 6. *resol.* 14.

4 Probabile est, Canonicum qui abest à choro sine causâ, animo amittendi distributiones, non peccare mort. modo absit contemptus, & non sit causa, cur officium diuinum in Ecclesiâ non dicatur, aut non cum debitâ sollemnitate. Reginald. & alij 8. p. 4. tr. 4. ref. 217.

& p.2.tr.12.ref.31. Non omittitur autē chorus, si quatuor sunt præsentēs: nam quatuor Canonici constituunt chorū. Macigni. p.2.tr.12.ref.31.

5 Qui tribus, vel quatuor diebus ultra tempus à Concilio permissum abest à choro, peccat solū venialiter, ex paruitate materiæ. Faust. p.5.tr.5.ref.26.

6 Coadiutor Canonici præbendæ presbyteralis, sedere debet in choro ante Canonicos præbendæ diaconalis, & Coadiutor diaconalis ante omnes subdiaconalis: quia Coadiutores inseruūt in eodem ordine, in quo coadiuti. Gaunt. & Leone. p.4.tr.4.ref.88.

Capellanus.

1 Quando fundator Capellaniæ Sacerdotalis, illam constituens, vsus est verbis affirmatiuis, v.g. instituatur Capellanus Sacerdos qui Missas celebret, poterit illa conferri etiam illi, qui non est actu Sacerdos, modò sit aptitudine, ita vt intra annum fieri possit, sicut fit in beneficiis parochialibus. Gonzalez & alij 3. Quod si tantū dicat; Instituatur Capellanus qui Missas celebret, poterit illa conferri etiam Clerico 14. annorum, quia illa verba

non

non exigunt, vt celebret per se, sed poterit celebrare per alium. Cast. Palau. & alij 3. p. 4. tr. 4. es. 227.

2 Si Capellanus ægrotauerit per aliquot dies, puta 10. aut 15. non obligatur ad Missas per alium celebrandas. Barbof. & alij 5. etsi Nauarra & Naldus etiam per spatium vnus, vel duorum mensium excusent. duo enim menses breue spatium sunt. Peyrin p. 2. tract. 14. res. 27. & p. 5. tr. 13. res. 51. Nisi constitutio aliqua, aut nota consuetudo obstet. p. 4. tract. 4. res. 238.

3 Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam vt ipsemet celebret, licet in fundatione Capellæ dicatur Capellanum debere celebrare, nisi expressè caueatur à testatore, vt Capellanus per se ipsum hoc agat. Barbof. & alij 4. Hic notandum, Capellam ex se non esse sacerdotalem, proindeque simplici clerico annor. 14. posse conferri. *ibid.* res. 87. & p. 2. tr. 14. resol. 18.

Cardinalis.

1 Cardinalatus non est nisi de iure humano, vnde per Pontificem extingui posset. Sanch. & alij. etsi multi contrarium doceant. Turrecrema. & alij 11. p. 5. tr. 2. res. 2.

E 3

2 Pres-

2 Presbyteri Cardinales debent habere ætatem Episcopalem 30. annorum: diaconis tamen sufficiunt anni 22. ex sanctione Sixti V. et si Pontifex etiam minores possit assumere. Henric. & alij. Quod si esset coniugatus, sufficit quod vxor castitatem voueat, siue vetula sit, siue iuuenis. Sanch. & Pontius *ibid.* ref. 19. & 39.

3 Cardinalis, quamuis inferior sit Episcopo potestate Ordinis, est tamē superior administratione, & dignitate. Vasq. & alij 18. vnde habet ius præsentia, & sententia in Conciliis. Suarez & alij 4. imò ad gerenda negotia consilium eorum adhibere debet Pontifex, saltem ex honestate. Malder. Quando autem Pontifex vult indignū promouere ad Episcopatum, non tenentur id impedire, sed tantū sincerè respondere ad interrogata. *ibid.* ref. 1. 3. 4. & 21.

4 Priuilegia Episcopis cōcessa propter dignitatē status extenduntur ad Cardinales. Laym. & alij 5. vnde & celebrare possunt, & facere sibi celebrari vnā saltem horā post meridiem, & duabus horis & mediā ante auroram. ex Suarez & alijs. Imò & probabiliter eorum Cappellani, ipsis absentibus, id possunt in

face

facellis eorum domesticis. et si contra-
rium videatur verius. *ibid. ref. 48. & 77.*
& p 6. tr 8. ref. 40.

5 In suis titulis habent iurisdictionem episcopalem etiam ad criminalia (Layman & alij 3.) vnde & priuatum carcerem habere possunt quoad familiares suos. A sententiâ tamen vnius Cardinalis appellari potest, quidquid aliqui contradicant; sed non à sententiâ Collegij Cardinalium. Azor. & alij 9. Item possunt ibi conferre tonsuram, & minores Ordines. Vasq. & alij 20. (quâuis hoc abrogatum esse per Trident. putet Sanch.) & assistere matrimonio, & licentiâ ad hoc dare. Sanch. & alij 4. Et dispensare in votis, & absoluere in casibus Episcopo concessis à Trident. *sess. 24. c. 6. de reform.* Et derogare fidei commissis ad illas Ecclesias pertinentibus. Et commutare vltimas voluntates, sicut possunt Episcopi. Imò & cōcedere indulgētiâs centū dierū. Sot. & alij 6. Possunt etiam sibi, & familiæ suæ eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo. Suar. & alij 17. p. 5. tr. 2. ref. 7. 12. 25. 36. 5. 35. 58. 59. 61. 57. 6. & 10.

6 Cardinales in materiâ fauorabili veniunt nomine clericorum, nō in odio-

sa Barboſi. & alij. nec teneantur ſoluere decimas pro generali ſubſidio à Papa imperato. Legibus autem Pontificiis generaliter ferentibus cenſuras, vel pœnas, vti & regulis Cæcellariæ, an cõprehendãtur, alij negãt, (Rebuffi & alij 13.) alij communiùs affirmant. ſaltem in ſententiã ſuſpenſionis, vel interdicti nõ includuntur. Henriq. & alij 8. Non poſſunt tamen ingredi monaſteria monialium, propter Bullam Gregorij XIII. *ibid. ref. 69. 68. 16. 17. 46. & 20.*

7 Cardinales eo ipſo ſoluuntur à patriã poteſtate. Molin. & alij 8. Iſtis egẽtibus tenetur Papa ſubuenire. Azor. & ali. 6. Imò propter intimam coniunctionem cum Papã nõ poſſunt permittere ſibi venam aperiri ſine licentiã Papæ, vbi commodè haberi poteſt. Garzias & alij 5. *ibid. ref. 32. & 33.*

8 Si Cardinalis caſu, & non datã operã incidit in reum condemnatum, liberat illum: aſſerenti autem caſu eſſe factum, creditur ſine iuramento (Barboſi & alij) ſicut & in quavis aliã re, etiam cùm affirmat aliquid à Papa viuæ vocis oraculo factum in præiudicium tertij. & quoties deponit in facto proprio, facit plusquam ſemiplenam proba-

bati
rion
ſacr
9
ſtan
teſta
teſta
ſint
cap
teſt
tur
per
Por
alij
teſt
tu C
tud
10
dan
ſtes
ri,
9.4
do
11
cor
ceſſ
ma
run
rog

bationem; ad effectum verò iustificationis sui familiaris plenè probat. Ita sacra Rota *ibid. ref. 29. 31. & 93.*

9 Cardinales habent priuilegium testandi iure militari, 1. vt sufficiant duo testes. 2. vt possint decedere pro parte testati, & pro parte intestati 3. vt possint instituere heredem personam incapacem. Alban. & alij 5. Facultas autè testandi ipsis concessa non restringitur ad vnicum testamentum, sed semper durat. Azor. neque expirat morte Pontificis qui eam concessit. Molin. & alij 6. Vtrum tamen ex licentiâ Papæ testari possint de bonis perceptis intuitu Cardinalatus, attendenda est cõsuetudo Curie Romanæ. *ibid. 51. 53. 54. 50.*

10 Cardinales Episcopi non possunt damnari, nisi conuincantur per 72. testes, vel per 64. si solum sunt presbyteri, vel per 27. si diaconi, ex *c. presul. 2. q. 4.* hoc tamen non est in praxi, quando Papa contra eos procedit. *ib. ref. 24.*

11 Possunt sine consensu Pontificis congregare Concilium, quando id necessarium esset ad subueniendum extreemæ necessitati Ecclesiæ: quamuis illud tunc erit imperfectum, & carebit prærogatiuâ Conciliorum ex defectu con-

sensus Papæ. Perez. Similiter mortuo Papa, etsi non habeant potestatem Rô-
tificiam, possunt tamen, vbi immine-
ret periculum amissionis alicuius loci,
facere quascumque prouisiones, & or-
dinationes necessarias. 2. pro coercendis
flagitiis & seditionibus imponere pœ-
nas tum corporales, tum spirituales. 3.
ad eundem finem mutare quo suis offi-
ciales, etiam Gubernatorem vrbs, tam
vltra pontem, quàm citra. 4. iudicare
Papam esse intrusum, dum ipsi vacant
legitimæ electioni. Lauorius *ibid. resol.*
62. & 9.

12 Incurrunt in censuras Bullæ Cœnæ
qui insultum faciunt in domos Cardi-
nalianum ad horum ignominiam. Alte-
rius. etsi alij communiùs contrà do-
ceant. Barbof. & alij 4. Item qui eiiciunt
illos è terris vbi nati sunt, vel domici-
lium habent, etsi non exerceant ibi
aliquam legationem, aut iurisdictionem.
Bonacin. & alij 3. Qui offensionem in
Cardinalem, cùm possit, non impedit.
Alterius, & alij 2. Qui vel leuissimè eos
percutit, v.g. chirothecâ, modò ad sit in-
famia. Scortia. Item mandantes eos of-
fendi, vel offensionem suo nomine fa-
ctam ratam habentes. Peregrin. & alij.
Imò

Imò qui sciens aliquem conspirasse cōtra Cardinalem, non denuntiat, incidit in excomm. latam à Pio V. quamvis per correptionem fraternam emendatio speraretur. Bonacin. & Alterius. Ipsi tamen se percutientes non incurrunt Censuram Bullæ Cœnæ. Bonacin. *ibid.* ref. 81. 82. 88. 92. 87. 89. 84.

Caritas.

1 **P**Ræceptum dilectionis Dei obligat ut non diu differatur post adeptum usum rationis. 2. in fine vitæ. 3. aliquoties in vitâ, ita ut saltem non differatur ultra tres, vel quatuor annos. Suar. & alij 2. Quamvis alij velint solum obligare in articulo mortis. Vasq. & Sancius p. 5. tr. 14. ref. 105.

2 Ut quis teneatur alienæ salutis cum vitæ suæ periculo opem ferre, debet salus alteri esse physicè impossibilis nisi ego succurram. Aliud tamen est in iis qui ex officio obligantur, ut Pastores. Hurtad. *ibid.* tr. 13. ref. 24.

3 Non teneris cum discrimine vitæ propriæ adire, & absolvere illum, qui in articulo mortis putat se non habere contritionem, & idè petit Confessarium, nisi fortè talis esset ita rudis, ut
vel

vel nesciret contritionem esse necessariam, vel modum illam excitandi. Nauarr. & Coninc. quamuis contrarium doceant Suar. & alij 3. Neque cum simili periculo docere, qui ab hæretico concionatore seducuntur, ita vt vincibiliter veritatem ignorent: vel qui cū eâdem ignorantia contractum iniustum celebrant: vel cū quis filiã vult prostituere, etsi filia illa videatur spiritaliter peritura. Coninc & Lorca. contra Valent. Neque si infans aliàs sine baptismo sit moriturus, vt docet Sotus & Sà. Sed in hoc contrarium affirmant Suarez & alij 7. p. 3. tr. 5. res. 50 & 51. 4. Qui est in peccato mortali, non tenetur pro alienã salute vitam suam periculo exponere, nisi periculum esset mortis inferendæ in odium fidei, vel pietatis; quia enim tunc esset martyrium, sola attritio sufficeret: aliàs contritio semper potest esse dubia. Hurtado. p. 5. tr. 13. res. 23.

Carthusianus.

Carthusianum extra morbum, seculo etiam scandalo, non posse comedere carnes sine peccato mortali, communiùs docent Vasqu. Salas. Nauarr.

Nauarr. etsi contrarium quidam doceant cum Sà, ex eo quòd non teneatur abstinere ex voto, sed tantum ex consuetudine p 3. tr. 2. ref. 39.

2. Carthusianus etiam in articulo mortis non tenetur comedere carnes, sed potest tamen; vnde qui inscio præberent cibos ex carnibus, non peccarent. Sanchez & alij 3 p. 5. tr. 3. ref. 136.

Casus reseruatus.

1. **I**N dubio an casus sit reseruatus, præsumitur non reseruatus, & potest absolui; quia reseruatio est odiosa, & per consequens strictè interpretanda. Suar. & alij 6. p. 4. tr. 3. ref. 4.

2. Casus reseruati Superiori, non pertinent ad Nouitios: quia ad onera Religionis non tenentur. Azor. & alij 15. p. 3. tr. 2. ref. 110.

3. Non videtur Superior, vi decreti Clement. VIII. posse reseruare furtum, quo Religiosus aliquid alteri Religioso vel seculari abstulit, etiam quatenus est peccatum proprietatis. Quia Pontifex concessit tantum Superioribus Religionum reseruationem furti de rebus monasterij, & conuentus. Ledesm. p. 1. tr. 6. ref. 44 & 45.

4. Re.

4. Reservato peccato carnis, reservatum censetur illud solum quod secundum quantitatem operis externi, & sine relatione ad consensum internum certò est mortale. Henric. & Granad. p. 4. tr. 4. ref. 163.

5. Vbi pollutio voluntaria etiam sine complice, est reservata, quando tamen oritur ex solâ delectatione morosâ, vel ex adpectu libidinoso cum illâ cõiuncto, non est reservata; nisi esset adpectus omnino turpis nudi corporis, aut saltem partium libidinosarum. Kiene. & alij. *ibid.* ref. 61.

6. Superior Regularis non potest sine reservare tactus impudicos, & oscula quia non comprehenduntur verbo *lapsus carnis voluntariè opere consummat* in Decreto. Clement. VIII. Suarez & alij. Licet aliqui affirmant. Tamburini & Sorbo. p. 3. tr. 2. ref. 118.

7. Qui ignorat alicuius peccati reservationem, non incurrere illam, quidam probabile putant; quòd omnis reservatio sit pœnalis, & odiosa. Sed non est recedendum à contrariâ sententiâ quia communis est. Qui tamen bonæ fide confitetur casum reservatum, non sciens esse reservatum, validè absoluitur.

tur,
Eccle
pos
biur
et si
cisse
rere
8
tur,
servu
mo
eta
dur
tio.
p. 4.
9
abs
etia
cess
inte
illa
sub
ten
rici
Pra
10
pet
ref
ten

tur, siue Sacerdos peccet, siue non: quia Ecclesia tacitè dat iurisdictionem. Præ-
pof. Sicut & qui confessus fuerat vt du-
bium peccatum quod erat reservatum,
etsi postea recorderetur certò se illud fe-
cisse, non tenetur ad superiorem recur-
rere. Lugo. p. 6. tr. 6. res. 41. & 40.

8 Quando superior Regularis mori-
tur, aut ab officio amouetur, cessat re-
seruatio ab eo facta. Granad. Idem est
moriente Episcopo, nisi reservatio fa-
cta esset per statutum: sicut enim hoc
durat post eius mortem, ita & reserva-
tio. Sanch. & alij 4. p. 3. tract. 2. res. 23. &
p. 4. tr. 4. res. 108. & p. 6. tr. 6. res. 41.

9 Qui obtinuit licentiam aliquem
absoluendi à reservatis, potest absoluerè
etiam ab iis quæ commisit post con-
cessam licentiam; quia concessio tacitè
intelligitur de similibus casibus qui post
illam concessionem clauibus bonâ fide
subiicientur. Quod verum est etsi pe-
tens licentiam scripsisset non esse pe-
riculum relapsus, si id bonâ fide fecerit.
Præpof. p. 4. tr. 4. res. 109.

10 Si Superior Regularis Confessario
petenti potestatem absoluendi à casu
reservato, dare noluerit, potest pœni-
tentem absoluerè pro illâ vice, ex deci-
sione

fione Pauli V. apud Naldum, Henr' q. & alij 6. p. 3. tr. 2. ref. 126. & p. 6. tr. 6. ref. 56.

11 Quando nō patet recursus ad Episcopum, potest Cōfessarius absoluerē casibus ipsi reservatis, sicut tunc possē à reservatis Papæ. Granad. & alij 2. p. 5. tract. 14. ref. 58.

12 Habens reservata, si confessus est legitimo Superiori, vel habenti potestatem absoluerē, et si per obliuionem omiserit reservata, tollitur reservatio Coninc & alij 3. p. 1. tr. 11. ref. 19. Idem que est quando confessus est quidem reservata, sed inualidè siue defectu dōloris siue integritatis. Præpos. & alij p. 4. tr. 4. ref. 124.

13 Sacerdos non potest absoluerē poenitentem, qui habet peccata reservata cum onere, vt ea sola Superiori confiteatur. Coninck. licet contrarium sit etiam probabile. Syluester & alij 3. p. 1. tr. 4. ref. 58. Hoc tamen certò licet, quādo poenitens non potest adire Superiorem, nisi post longam moram temporis. Suar. & alij. Vnica autem nox interposita non potest censerī longum tempus: et si de eo dubitet Hurtad. p. 5. tr. 13. ref. 8.

14 Si Superior absoluit subditum à reservatis

rese.
ipfa
Sacer
et si
sent
15
mo.
tenc
ram
mo.
& a
16
solu
renc
abse
Vase
17
uatu
re su
ficise
pote
ad h
Baur
tr. 7
18
Epis
uiu
poen
igno

refe

reservatis tantum, tenetur postea illa ipsa cum aliis non reservatis inferiori Sacerdoti confiteri. Coniack & alij 3. etsi Io. de la Cruz cum Ledesm. contra sentiat p. 3. tr. 4. ref. 74.

15 Absolutus à reservatis in articulo mortis per inferiorem Sacerdotem, non tenetur, si conualuerit, comparere coram Superiore, sicut tenentur, qui eodem modo sunt absoluti à censuris. Suarez & alij 3. p. 4. tr. 4. ref. 199.

16 Subditus ex facultate concessa absolutus à reservatis cum onere comparandi, non tenetur comparere, si ante absolutionem dictum onus ignoravit. Vasq. & Hurtad. *ibid.*

17 Si Religiosus habens casum reservatum ex industriâ, ne se cogatur sistere superiori, veniæ petendæ causa, proficiscatur aliò, ubi is non est reservatus, poterit ibi absolui: quilibet enim quoad hoc sequitur leges loci in quo est. Bauny. etsi contra sentiat Cambell. p. 6. tr. 7. ref. 57.

18 Confessarius absolvens à casibus Episcopo reservatis, sine pretextu aliquis privilegij, incidit in censuram & pœnas Decreti Clem. VIII. nisi excuset ignorantia, inconsideratio, aut spes ra-

rihabitationis. Non tamen incurreret in
 has Religiosus qui sine facultate absol-
 ueret à casu in Religione reseruato. Ho-
 mobon. & Floron. Porrò Sacerdos qui
 incidit in hanc excomm. potest ab Ep-
 scopo absolui. Homobon. & alij. *part. 3.*
tr. 4. ref. 73.

19 Vicarius potest dare facultatem
 absoluendi à reseruatis, si Præpositus
 absit, nec eodem die sit reuersurus; nisi
 subditus sine sufficienti causâ, confes-
 sionem in illum diem differat, vel in
 aliquâ Religione aliter dispositum sit.
 Homobon. & alij 3. p. 3. *tr. 2. ref. 28.*

20 Vicarius Episcopi qui habet pote-
 statem subdelegandi, potest absolui à
 alio, si incidit in casum reseruatum
 suo Episcopo: nam subdelegatus à Vi-
 cario fungitur vice primi delegantis; &
 perinde est ac si ipse primò delegan-
 tem delegasset. Item Episcopus si in casum
 incidit reseruatum Summo Pontifici,
 quo ipse potest alios absoluerè, dele-
 gando eam facultatem alteri, ab eo
 absolui potest. Suar. & alij 9. *ibid. tr. 4.*
resol. 142.

Vide *Inhibitionem.*

Censura.

1 AD censuram ut valida sit, non requiritur essentialiter monitio prauia: (Coninc & alij) sed de iure debet pramitti trina, etiam quando excommunicatio à iure decreta est sententiæ ferendæ. Suar. & alij 2. & quidē debet esse monitio sub pœna censura. Suar. & alij 9. idque quamuis sciretur non profutura. Quare si trina monitio omitteretur, esset quidem valida censura, sed illicita. & idem est in Prælati Regularibus ferentibus censuras. Auila p. 5. tr. 9. res. 18. 55. 19. & 20.

2 Potestas ferendi censuras acquiri potest consuetudine. *ibid.* res. 42.

3 Pueri ante annos pubertatis nullas censuras incurrunt. Cælestin. *ibid.* res. 46.

4 Censuræ non incurruntur ob actum internum, saltem nisi ut coniunctum cum externo. Vasq. & alij imò debet opus illud externum esse significat unum actus interni sub ratione qua actus externus est prohibitus ab Ecclesiâ. Vasq. *ibid.* res. 48 & 49.

5 Censura lata in facientem aliquid, non ligat mandantem, aut consulentem, nisi id exprimatur. Suar. & alij 8. quod cum fit, non tamen incurrit qui

F 2 manda

mandatum, vel consiliu[m] antè reuocauit. Anila & alij 4. *ibid.* ref. 57. & 58.

6 Quando censura fertur sub disiunctione, v. g. Qui hoc fecerit sit excommunicatus, vel suspensus, relinquitur arbitrio rei vt alterutram poenā eligat. Turrian. & alij. quamuis alij velint censuram tunc non habere effectum. *ibid.* ref. 63. & tr. 10. ref. 13. & 14.

7 Ignorantia etiam mortaliter culpabilis, siue iuris, siue facti, modò non sit crassa, excusat à censuris, & poenis; imò sola ignorantia non crassa excommunicationis. seu censuræ excusat, licet adsit scientia iuris. Est autem ignorantia crassa, quæ ex malitiâ, vel nimia negligentia procedit. Suar. & alij 11. Excipienda est tamen irregularitas homicidij. Merola. Quod si verba censuræ sic haberent, *Qui scienter hoc fecerit, vel qui præsumpserit*, ignorantia etiam crassa, imò & affectata excusaret. Bonacin. & alij 6 p. 3 tr. 5 ref. 12. & 13. & tr. 6. ref. 7. & p. 4 tr. 2. ref. 36. & 85.

8 Potest quis absolui à censuris & irregularitatibus extra Sacramentum poenitentiae, siue virtute Bullæ Cruciatæ, (Sanch. & alij 12.) siue per priuilegium Regularium. Coniac & alij 3. p. 1. tr. 11. ref. 29.

ref. 25. & p. 3. tr. 2. ref. 20. ac propterea non repugnat talem absolutionem dari absenti. p. 4 tr. 2. ref. 103.

9 Facultate absoluendi à censuris, & dispensandi super irregularitate occurrâ. &c. concessâ Episcopis à Conc. Trid. sess. 24. c. 6. gaudent etiam alij Prælati inferiores habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Sanch. & alij 6. ac proinde & Superiores Regulariû respectu suorum subditorum. Molina, & alij 4. Imò & Capitulum Sede vacante. Sanch. & alij 3. p. 4. tr. 4. ref. 211.

10 Potestas absoluendi à censuris per Bullam Cruciatæ, vel præuilegia Regularium, vniuersalis est quoad omnes suspensiones, siue à iure, siue ab homine, &c. sine vllâ exceptione. Henriq. & alij 3. *ibid.* ref. 115.

Vide *Absolutio ab excommunicat. Excommunicatio. Irregularitas.*

Census.

1 **P**ACTUM de retrouendendo in fauorē emptoris census, est licitum, neque debet tunc emptor census computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modo tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactū

imponitur venditori ad arbitrium boni viri, compensetur. Tamen ob periculum vsuræ, eiusmodi pacta non sunt suadenda. Malder. & alij 10 p. 3. tract. 1. resol. 75.

2 Si quis emat censum impositum minori pretio, quàm taxatum fuerit, non tenetur ad restitutionem, si rogatus fuerit à venditore; quia merces ultro neque vilescunt, ut quidam putant, pro tertiâ parte, vel etiam pro medietate. Nauarr. & alij p. 1. tr. 8. res. 36.

Circumstantia in confessione explicanda.

1 Circumstantiæ notabiliter aggravantes, non sunt in confessione necessariò aperiendæ, quia speciem non mutant, & consequenter nec notabiliter minuunt, ut si puella metu mortis, vel inopiâ cogente fornicetur. De Thom & alij 37 p. 1. tract. 7. res. 1. & p. 3. tr. 4. res. 67. & p. 5. tr. 14. res. 85.

2 Scandalum actiuum quando non est spectale peccatum, est circumstantia adeò aggravans, ut sit in confessione explicanda: nam qui induxit mulierem ad peccandum, non facit in integritate confessionis, si dicat *Peccavi cum quadam*

dam muliere, nisi addat, Et illam ad peccandum induxi. Explicandus est etiam numerus personarum, quibus datum est scandalum, etiam vnicō peccato. *Cocinac & alij 6. p. 3. tr. 4. ref. 114.*

3 Qui cum feminā fornicatus est, non debet necessariō in confessione addere se illam induxisse ad peccatum, hoc enim satis intelligitur, quia communiter ita fit. vnde aliud esset si femina induxisset virum, aut si inductio facta esset precibus æquivalentibus violentiæ morali. *Salas & alij 2. p. 5. tr. 13. ref. 5.*

4 Quoties quis alterum inducit ad idē peccatum quod ipse facit, & quod non nisi à duobus committi potest, vt est fornicatio, non esse necessariō illam inuitationem in confessione explicandam, eò quòd sit idem numero peccatū, docet probabile ex Vasq. *Mærat. ibid.*

5 Circumstantia inductionis ad peccatum, quando altera parata erat ad peccandum, v.g. meretrix, non est necessariō explicanda in confessione, quia non est moralis inductio, cū voluntas de se esset disposita. *Suarez & alij 3.* Idem dicendum, si quis vitur aliquā personā paratā; vt maleficium soluat maleficio cum pacto dæmonis. Tenetur

38: *Circumst. in confess explic.*

tamen talis confiteri peccatum aditionis sagæ. Fagund. p. 1. tr. 7. ref. 34.

6 Qui furatus est ingentem pecuniam summam, satisfacit in confessione si dicat se commisisse furtum in re notabili. Vasq. & alij 6. *ibid. ref. 14.*

7 Si Iudex furetur rem alienam, quam tenetur ex officio custodire, non debet necessariò illam officij circumstantiam aperire, neque enim multum aggrauat peccatum Henr. *ibid. ref. 36.*

8 Consuetudo peccandi non est circumstantia necessariò in confessione aperienda, nisi orta sit ex occasione proximâ, quam pœnitens tenetur rescindere, Vasq. & alij 4 *ibid. ref. 15.*

9 Circumstantia peccati perpetrati in die festo solenni, non est necessariò in confessione aperienda. Idem dicendum de die quo quis Eucharistiam sumpsit. Vasq. & alij, neque si quis peccauit delectatione morosâ, aut simili peccato, dum orabat vocaliter. Sanch. *ibid. ref. 32 & p. 6. tr. 7. ref. 36.*

10 Apostasiæ circumstantia non est necessariò in confessione aperienda tamquam distincta ab hæresi; cum ab illâ non differat specie. Sanchez & alij 8 p. 1. tr. 7. ref. 54.

11 Qui

11 Qui fornicatus est, non tenetur in confessione explicare tactus, oscula, &c. que præcesserunt, aut subsequuta sunt copulam: quia cum actu principali vnum tantum peccatum constituunt. Henr. i. q. & alij 5. vnde qui totam nocte cum meretrice impudicè egit, satisfacit explicando numerum copularum. *ibid. res. 42. 67. & 39. & p. 5. tr. 14. res. 10.* Qui tamen sine intentione fornicandi adiuit ad meretricem, vt eius tactibus fruatur, etsi postea fornicetur, præter fornicationem debet confiteri illos tactus tamquam peccatum distinctum: quia sicut ibi neque ordinantur, neque sunt inchoatio ad copulam; ita neque cum hac vnum peccatum constituunt. Hurta. *p. 4. tr. 4. res. 205.*

12 Copula vxoricidæ, vel adulteri cum promissione matrimonij, non est circumstantia necessariò in confessione explicanda: quia quando impedimentum matrimonij imponitur in poenam delicti, & ad præcauendum damnum, tunc copula cum habent tale impedimentum, tantum est simplex fornicatio. Sanchez & alij 2. *p. 3. tr. 4. res. 140.*

13 Concubitus viri Christiani cum infideli, est circumstantia in confessione

aperienda : quia mutat speciem. Sanch. & alij 7. Non tamen damno contrariam sententiam asserentium, non esse peccatum distinctum à simplici fornicatione. Filliuc. & alij 4. *ibid. ref. 138.*

14 Eunuchus vel frigidus si copulam habeat, tenetur explicare circumstantiam impotentiae : reducitur enim ad peccatum contra naturam. Sanch. & alij 3. *p. 6. tr. 6. ref. 35.*

15 Sponsus, vel sponsa de futuro, & cum eis se carnaliter commiscentes, nō tenentur illam sponsalium circumstantiam explicare ; quia non mutat speciem, cum non sit adulterium. Couarr. & alij 3. *p. 1. tr. 7. ref. 5. & p. 3. tr. 4. ref. 67.*

16 Qui peccavit contra naturam cum mare, vel feminā, vel bestiā huius aut illius speciei, non tenetur has circumstantias explicare, sed sufficit si dicat: *Peccavi in sodomia, vel bestialitate.* Contrarium tamen est probabilius, quoad Sodomiam. Tanner. *ibid. ref. 2. & p. 5. tr. 14. ref. 56.*

17 Mulier quæ peccavit cum Sacerdote Religioso, satisfacit dicendo in confessione, se peccasse cum Sacerdote, nec tenetur dicere illum fuisse Religiosum. Sanchez & alij 9. Item Sacerdos, vel Religiosus

Religiosus satisfacit si dicat se violasse votum castitatis, neque mentionem faciat voti solennis. Sanchez & alij 6. part. 1. tr. 7. ref. 3. & 4. & p. 3 tr. 4. ref. 67.

18 Non sunt circumstantiæ necessariò explicandæ, si soluta peccet cum nouitio, vel solutus cum nouitiâ Megala. aut si Sacerdos alium percuciat vel occidat. Nugnus p. 1. tr. 7. ref. 7. & 8.

19 Religiosus professus qui peculiare votum emisit de non fornicando, aut mollitie committendâ, non tenetur id explicare: quia multiplicatio votorum circa eandem rem, ne aggrauantẽ quidem circumstantiam addit. Fagund. *ibid.* ref. 9.

20 Qui se pollui permisit tactibus Religiosi, aut Clerici, aut cùm hi alios polluerunt qui non habent votum, non teneri illam circumstantiam personæ exprimere: eò quòd in illis casibus non sit violata persona sacra, docet Llamas. Sed an probabiliter, iudicent docti. *ibid.* ref. 53.

21 Qui commisit incestum cum matre, filiâ, sorore, &c. non tenetur exprimere circumstantiã personæ: quamuis enim grauior sit incestus cum matre, aut filiâ, quàm cum nepte; tamen
quia

92 *Circumst. in confess. explic.*

quia ista gravitas auget malitiam intra eandem speciem, non est necessariò explicanda. D. Thom & alij *ibid. ref. 31. & p. 3. tr. 4. ref. 67. & p. 5. tr. 14. ref. 56.*

22 Episcopus, & Generalis alicuius Religionis si fornicentur, nò tenentur explicare istam circumstantiam dignitatis, nisi fornicatio illa esset publica, vt scandalum pareret; tunc enim peccatum haberet specialem malitiam ex statu. Sanchez & alij *4. p. 1. tr. 7. ref. 6.*

23 Confessarius qui carnaliter cognouit pœnitentem non tenetur hanc circumstantiam explicare; quia notabiliter tantùm aggrauat, nec speciem mutat; Sacramentum quippe pœnitentiæ non inducit propriè cognitionem spiritalem. Pontius & alij *7. ibid. ref. 12. & p. 2. tr. 17. ref. 11.* Contrarium tamen est dicendum, si peccauit cum pœnitente, vel in ipsâ confessione, vel proximè ad illam; propter iniuriam contra Sacramentum. Hurtad. & alij *2. p. 4. tr. 5. ref. 34.*

24 Gestatio reliquiarum vel Agni Dei in actu venereo, non est circumstantia explicanda: sicut nec illa dare amariæ ex gratitudine, & beneuolentiâ, non autem tamquam pretium actus, tunc enim esset sacrilegium. Filluc. *part. 1.*

tract.

tract. 7. res. 18. & p. 3. tract. 4. res. 67.

25 Qui furatur propter fornicationem, non tenetur dicere se commisisse furtum ut fornicaretur, sed sufficit si dicat, *furatus sum*; & postea subiungat, *habui intentionem mœchandi*: quia malitia illius finis non est diuersa ab ea, quæ reperitur in intentione mœchandi, Nauarr. & alij 2. *ibid. res. 23.*

26 Qui confessus est peccatum, oblitus alicuius circumstantiæ, satisfacit si postea solam circumstantiam confiteatur, si commodè potest separatim explicari: v.g. qui furatus est calicem Ecclesiæ, & ex obliuione dixit tantum se furtum commisisse; in proxima confessione satisfaciet, si solum sacrilegium accuset. Suarez & alij 3. *ibid. res. 45.*

*Comitia, seu Parlamentum
Regni Sicilia, & Neapolis.*

1 **D**Onatiua quæ à Sereniss. Rege Sicilia exiuntur tertio quoque anno, ad subueniendum necessitati regni, sunt veræ impositiones necessariae, & iustæ. Suarez & alij 4. *p. 1. tr. 3. res. 1.*

2 In comitiis credendum est Regi affirmanti se esse in necessitate, nisi moraliter

94 *Comitia, seu Parliament.*

raliter constet de contrario. Menoch.
& alij. *ibid* ref. 11.

3 Quando Vasalli, & Communitates
sunt multum oneratae, tunc potest Prin-
ceps suspendere pensiones, cōcessionēs,
ipsasque etiam tollere; quia publicum
commodum privato est anteferendū.
Aponte & Valenzuola *ibid*. ref. 14.

4 Non potest Rex imponere noua
tributa regno Siciliae ob causas necessa-
rias de iure communi tantum: propter
priuilegia ei concessa *ibid*. ref. 15.

5 Si populus onus tributi ferre non
potest, non tenentur Barones & regni
proceres contribuere; quia tenentur
ad seruitium militare. Valenzuola *ibid*.
resol. 26.

6 Donatium per aliquot annos du-
raturum, non potest nunc pro tunc
ad alios annos prorogari, propter in-
commoda quae interuenire possunt. Va-
lenzuola *ibid* ref. 24.

7 Conuocati ad Comitia Prouincialia,
non possunt donatium offerre Prore-
gi sine licentiâ Regis: & quando offer-
turi etiam cum licentiâ Regis, debet fieri
ex consensu omnium congregatorum,
nec sufficit consensus maioris partis.
Barbosa & alij 4 *ibid*. ref. 29.

8 Exteri

8 Exteri in Parlamento rarò sunt inter Regnicolas admittendi, aut ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas: quia indigenæ maiorem curam gerunt suarum Ecclesiarum, & magis in iis resident, quàm exteri. Barbosa & alij. 18. *ibid. ref. 6.*

9 Possunt plures Vniuersitates, & Barones regni constituere vnum, aut alterum procuratorem, quos nouerint esse timoratae conscientiae, vt intrent in Parliamentum. Aponte *ibid. ref. 7.*

10 Procuratores in Comitibus non debent sedere eo loco, quem eorum Barones occuparent, si adessent. Aponte *ibid. ref. 28.*

11 Procuratores Communitatum, & alij intrantes in Parliamentum, debent proponere id quod spectat ad commune bonum, licet ab eo qui praest non proponatur. Molfes. *ibid. ref. 9.*

12 Qui intrat in Parliamentum tamquam Procurator, non debet rogatus substituere alium procuratorem, quia hoc cedit in damnum regni *ibid. ref. 3.*

13 Qui ingreditur Comitibus vt Baro, & vt Procurator alicuius Communitatis, si habet rationes probabiles in vtramque partem, potest dare suffragium affirmatiuum, & negatiuum; id tamen ra-

96 *Comitia, seu Parlament.*

rò contigit. Aponte *ibid. ref. 10.*

14 In Comitibus seu Parlamento postquam numerus sufficiens suffragatus est pro re iniustâ, si quis postea pro eadem re det suffragium, peccat quidem mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem: quia nō cooperatur ad damnum. Vasq. & alij 14. Qui verò priore loco sententiam dixit pro re iniustâ, tenetur damnū resarcire cuius est causa, etiam si sciret sequentes in eandem sententiam ituros. Vasq. & alij 8. *ibid. ref. 16 & 17.*

15 Quando per occulta suffragia lata est iniusta sententia, & dubitas an tuum suffragium fuerit efficax causa damni, an verò ex posterioribus, post sufficientem iam numerum ad cōcludendum, etsi peccasti, non teneris restituere, quia es in possessione. Gordō. p. 4. tr. 3. ref. 61.

16 Qui subscribit sententiæ à maiori parte Comitiorum conclusæ, cum ipse contrarium suffragium dederit, si sententia euidenter est iniusta, peccat mortaliter. Malderiaga. p. 1. tr. 3. ref. 30.

17 Quando quis certò scit in Comitibus pro re iniustâ concludendum à maiori parte, potest illo die abesse à Comitibus, nisi speret suum suffragium profuturum. Ledesm. & alij 2. At quādo

omnium

omnium suffragia debent concurrere ad concludendum, nullus potest abesse: quia potest vnus suo calculo iniustam conclusionem impedire. Garbias & alij 4. *ibid. ref. 18. & 19.*

Concionari.

1 **N**on est peccatum, concionari in peccato mortali occulto, sed tantum in publico: quia actus concionandi non est consecratus, neque ex sua natura, neque ex institutione Ecclesiae, neque certo ordini deputatus. Idem dicendum est de Lectore sacrae Theologiae, & Scripturae, modò absit scandalum. Suarez & alij 3 *p. 3. tr. 4. ref. 197.*

2 Non est necesse Regulares approbari ab Episcopo in ordine ad conciones. Barbof. & alij 3. *p. 4. tr. 4. ref. 22.* Quin & contradicente Episcopo concionari possunt in suis Ecclesiis. Barbof. & alij. *p. 3. tr. 2. ref. 58.* Imò etsi in alienis Ecclesiis sine Episcopi licentiâ concionentur, non possunt tamen ab ipso puniri, sed à suis Superioribus. Rodriq. & alij 2. ex declaratione Cardinal. dum autem Episcopi licentiam illam concedunt, non habent ius Regulares examinandi, iuxta Conc. Trident. Henriq. & alij 7. praxis

G

tamen

tamen est in contrarium. *ibid* ref. 111. & p. 6 tr. 8. ref. 20.

3 Possunt Fratres Prædicatores & Minores, & qui cum ipsis communicant in privilegiis, concionantes in suis domibus, concedere auditoribus suis 18. annos & 320 dies indulgent. extra suas verò Ecclesias 18. annos & 222. dies tantum. tempore verò Quadragesimæ in suis domibus feriâ 2. 4. & 6. 156. annos & 24. dies. Debent tamen illas indulgentias expressè concedere nomine suæ Sanctitatis, aliàs essent nullæ. Rodriq. & alij 2. p. 4. tr. 4. ref. 22.

Confessarius.

1 **C**onfessio facta simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo est inualida, etsi bonâ fide fiat. (Lugo & alij.) & quod contra docet Croufers nec tutum est, nec probabile. Imò neque Prælati Religionum, sine approbatione Ordinarij, possunt secularium confessiones audire. Suarez & Rodriq. etsi contrarium affirmet Henriq. & alij 5. p. 6. tr. 6. ref. 52. & p. 2. tr. 16. ref. 44.

2 Quemlibet simplicem Sacerdotem sine approbatione Episcopi, posse absoluerè etiam à mortalibus in priori

SOB-

confessione per obliuionem omissis, docet Valerus: an probabiliter, alij iudicent. *ibid.* saltem à venialibus quilibet potest absolvere. Suarez & alij, quidquid reclamet Faber. *p. 5. rr. 24 ref. 86.*

3. Non obstante Concilij Trident. decreto, posse Parochum ad excipiendas confessiones exponere simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, docent nonnulli. Ledesm. & alij 4. quod probabile esset, nisi obstaret declaratio Cardin. Quando tamen quis semel approbatus est, poterit vbique à Parocho, seu Superiore Regularium assumi ad confessiones audiendas, absque nouâ approbatione. Suar. Vasq. & alij. Imò quando mul: e sunt confessiones audiendæ, vt in hebdomadâ sanctâ, vel Iubilæo, posse Parochum approbare Sacerdotem doctum, si non sit facilis recursus ad Episcopum, docet Henriq. & alij 3 *p. 3. tr. 4. ref. 146. 110. & 160. & p. 5. tr. 12. ref. 48.*

4. Probabile est, Religiosos, iniuste ab Episcopo non approbatos, posse nihilominus confessiones audire; quia ipso iure approbantur in *Clementinâ Dudâ. de sepult* quam Concil. Trident. non videtur renouasse. Fagund. & alij 20. sed

trariū est probabile. Vasq. & alij 10. Et illud priuilegium *Clementina* vix potest in praxi esse vsui, propter limitationes cum quibus concessum est. *part. 3. tr. 2. ref. 24. & p. 6. tr. 7. ref. 60.*

5 Possunt Episcopi ex iustā causā restringere Religiosorum approbationes ad audiendas confessiones virorum tantū. Suarez & alij 10. Quòd si tamen limitatio careret iustā causā, esset inualida. Henriq. & alij. Nec ordinariè saltem adest talis causa, cum passim clerici 24. annorum per beneficium parochiale sine vllā limitatione approbentur. Villalob. & alij 2. *p. 3. tr. 2. ref. 25. & p. 4. tr. 4. ref. 200.* Contrarium tamen verius videtur: quia siue iustè, siue iniustè limitetur, talis non est pro illo tempore, vel ad tales confessiones approbatus. Lugo. *p. 6. tr. 7. ref. 61.*

6 Nouus Episcopus, vel etiam idem potest approbationem à se, vel suo predecessore Regularibus vel Parochis concessam suspendere, & de nouo illos examinare. Sancius & alij 2. Quamuis nonnulli contrā sentiant quoad Parochos. Homobon. & alij 2. Sicut non potest id facere Capitulum, sede vacante. Fagundez & alij. Quidam tamen negant

negant Episcopum id posse, saltem generaliter quoad omnes. Villalob. & alij. Quod si reuocet sine iustâ causâ, inualidè id faeiet, nisi ab initio concesserat solum *ad beneplacitum*. Lugo & alij 2. p. 3. tr. 2. res. 27. & p. 4. tr. 4. res. 59. & p. 6. tr. 7. res. 62.

7 Religiosus à Prælato suo non præsentatus, potest ab Ordinario approbari, & de eius licentiâ confessiones sæcularium audire, & virtute Iubilæi, aut Bullæ Cruciatę eligi: quia in eo reperiuntur omnia requisita, approbatio scilicet, & iurisdictio. *in Addit. 3. p. res. 7.*

8 Non potest Episcopus approbationem semel concessam ad confessiones audiendas, reuocare sine iustâ causâ, & quidem nouâ, & pertinente ad ipsas confessiones, aut ob nonseruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Ex decreto Sac. Cong. Item non potest debitè præsentatum & examinatum reiicere: quia potestas illi data est in ædificationem; & hæc reuocatio, vel reiectio est nulla. Suarez & alij 5. Quod si concessa esset *ad beneplacitum*, posset pro libitu reuocari. Barbos. & Lugo. Probabile est tamen approbationem etiam sic concessam, non expirare

morte concedentis : quia etsi in rigore iuris id deberet fieri, cum per mortem cesset beneplacitum; communiter tamen illud intelligitur, quasi diceret; *donec reuocauero*. Castrop. & alij p. 3. tr. 2. res. 22. & p. 4. tr. 4. res. 200. & p. 5. tr. 14. res. 21. & p. 6. tr. 6. res. 48.

9 Approbatus ab Episcopo ad confessiones virorum, non autem mulierum. potest nihilominus eligi priuilegio Bullæ, non solum à viris, sed etiam à feminis, quia hic Confessarius est simpliciter approbatus; illa enim limitatio non apponitur ex defectu scientiæ, sed ætatis. Henriq. & alij 5. p. 1. tr. 11. resol. 9.

10 Confessarius approbatus à quocumque Episcopo, potest per Bullam vel Iubilæum vbique confessiones audire, absque nouâ Ordinarij loci approbatione, & potest à quocumque eligi. Bulla enim aliud non requirit, nisi ut Confessarius sit ab Ordinario approbatus. Henriq. & alij 11. Idemque dicendum de habente beneficium curatum, quia talis per Concil. Trident. est absolute approbatus. Suarez & alij 8. Idem dicendum est de Prælati Regularium, quia beneficium curatum comprehendit

dit omnes habentes curam animarum. Bossi. & alij 7. nullibi tamen eligi potest qui beneficio suo cessit, vel priuatus est. Barbof. & alij. etsi contrarium etiam probabile sit. Villalob. & alij 3. Quæ vera sunt etiam in Regulari qui à suo Prælato prohibitus est audire confessiones. (Salas & alij 7.) neque peccabit mortaliter sic absolvens, nisi ex vi suarum constitutionum obligetur ad peccatum mortale. Molfes. & Megal. *ibid.* res 78 & 13. & p. 5. tr. 12. res. 52. 47. & 53.

11 Confessarius in vno tantum oppido ob defectum scientiæ approbatus, non est per Bullam eligibilis: quia est approbatus cum restrictione propter insufficientiam, vt qui est approbatus ad audiendas confessiones puerorum, & rusticorum tantum. Rodriq. & alij. p. 1. tr. 11. res. 10. Contrarium tamen est probabile. Bossi. & alij 4. p. 5. tr. 12. res. 49.

12 Qui ad certum tempus est approbatus, transacto illo tempore per Bullam est eligibilis, etsi postea ab Ordinario reprobetur, modò constet id non esse factum ex propriâ culpâ, vel ex crimine inducente infamiam, sed ex maleuolentiâ Ordinarij, seu Officialis, aut in pœnam alicuius inobedientiæ.

Acosta. part. 1. tr. 11. res. 11. & 12.

13 Confessarius in vnâ diœcesi approbatus, potest aliquem illius diœcesis absoluerè extra territorium: cùm enim eiusmodi confessarij habeant iurisdictionem in personas pœnitentium, non est habenda ratio territorij. Suarez & alij 7. p. 3. tr. 4. res. 144.

14 Vt possit Sacerdos validè confessiones audire, sufficit rati habitio de præsenti: est enim consensus tacitus, & interpretatiuus, qui sufficit. Sanchez & alij 8. *ibid.* res. 68.

15 Si proprius Pastor iniustè denegat alicui licentiam confitendi alteri, tamè confessio alteri facta est valida. Si quis tamen in Paschate non potest sine periculo salutis & famæ, proprio Parocho confiteri, & non vult Parochus illi cedere facultatem alteri confitendi; nõ violat præceptum Ecclesię si non confiteatur: sed eliciendo actum contritionis, potest ad Eucharistiam accedere. *ibid.* res. 79.

16 Confessarius sæcularis vnus diœcesis potest absoluerè pœnitentem alterius diœcesis à casibus ibi reseruatis, modò id non fiat in fraudem proprij Ordinarij; quilibet enim iudicandus est

iuxta

iuxta forum loci in quo est. Henriq. & Villalob. *ibid.* ref. 103.

17 Confessarius concubinarius potest audire confessionem suæ concubinæ, nisi interueniat periculum vel noui cōsensus, vel defectus doloris: imò aliquando poterit hoc esse expediens. Sācius & Pont. *p. 5. tr. 14. ref. 110.*

18 In Sacramento Pœnitentiæ quando dubium est de iurisdictione Sacerdotis, licitum est sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Sanch. & alij 5. Quando verò non sunt rationes, sed ambiguus hæret animus, non potest Sacerdos absoluere nisi vrgēte necessitate, idque cum onere eadem peccata iterum confitendi Sacerdoti habenti certam iurisdictionem. Suarez & alij 4. Quamuis illud onus neget Salas. *p. 4. tr. 4. ref. 4. & tr. 3. ref. 38.*

19 Cautè admodum se gerere debent Confessarij, quando de quibusdam peccatis interrogant, maximè feminas: præstat enim aliquando minùs perfectè peccatum pœnitentis cognoscere, quàm vel illi, vel sibi scandalum creare. Coninc & alij 3. *p. 3. tr. 4. ref. 99.*

20 Non licet Confessario interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad

ipsius correctionem, quia finis Sacramenti Pœnitentiæ est iustificatio pœnitentis, non emendatio complicitatis. Malder. & alij 10. *ibid.* ref. 113. & *part. tr. 11. ref. 39.* Posset tamen esse casus, quod Confessarius absolutionem merito negaret, nisi complex indicaretur. Lug. & Medin. *p. 6. tr. 7. ref. 2.*

21 Tempore pestis potest Confessarius timens infectionem non integræ confessionem audire. Suar. & alij 6. imò tenetur id facere quando aliàs non possit ceterorum confessiones audire, ut in bello vel simili casu. Vasq. *p. 5. tr. 3. ref. 74.*

22 Si Confessarius intelligat pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, vel saltem mortaliter non culpabili, & nullum speret fructum ex admonitione, sed potius animi inquietudinem, rixas, vel scandala, dissimulare debet, & cauere ne dum à pœnitente interrogatur, plus respondeat quàm interrogatur. *p. 3. tr. 4. ref. 80.*

23 Quando Confessarius scit certò pœnitentem commisisse peccatum, & non esse confessum, non debet illum absoluerè: quia non est applicanda forma Sacramenti subiecto non disposito. Suarez & alij 4. *ibid.* ref. 105.

24
sequ
lem
dò
hab
mo
de
San
25
lida
ten
det
pec
con
tùt
abi
tar
re
im
sed
po
26
ali
rif
se
ne
bo
lu
in

24 Confessarius quicumque tenetur sequi pœnitentis opinionem probabilem, licet illam ipse iudicet falsam, modo inter Doctores probos probabilis habeatur. Suarez & alij 12. Et peccat mortaliter si nolit absolvere, quando de mortalibus fit confessio. Sanchez & Sancius *p. 2. tr. 13. res. 11.*

25 Quando prior confessio fuit invalida, si in posteriori Confessarius saltem confusè statum pœnitentis recorderetur, non tenetur pœnitens priora peccata repetere. Vasq. Quòd si ne in confuso quidem recorderetur, sed tantùm sciat sibi fuisse confessum, & ita absoluat, valida erit absolutio; peccabit tamen Confessarius, quia sic nō potest rectè suo munere fungi in pœnitentia imponendâ. Layman *p. 3. tract. 4. res. 123.* sed iam puto etiam sine peccato id posse facere. ex Granad. *p. 5. tr. 14. res. 51.*

26 Quando Confessarius absoluit ab aliquo casu reservato non habens iurisdictionem, si pœnitens credit se fuisse validè absolutum, secundùm quosdã non est quòd postea Confessarius laboret; cum enim fuerit pœnitens absolutus ab omnibus peccatis, fuit etiam indirectè absolutus à reservatis per in-

tu-

fusionem gratiæ. Valerus. Sed contrarium est probabilius. *p. 2. tr. 15. res. 60.*

27 Confessarius qui ex ignorantia etiam vincibili, non obligat pœnitentem ad restitutionem, non tenetur ipse restituere, modò pœnitenti obligato restituere non dicat, vt non restituat, vt cogat restituere cum non teneatur. Suarez & alij. *ibid. tr. 16. res. 1.*

28 Qui successiue & sine notabili interruptione multorum confessiones excipit in statu peccati mortalis, vnum tantum peccatum committit, & sufficit vt dicat quando confitetur; *Administratio Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali.* Fagund. & alij 3. Si tamen eliciat actum contritionis, antequam absoluat, non administrat Sacramentum in peccato mortali. Nec peccat incipiendo sic audire confessionem cum proposito pœnitendi, antequam absoluat. Henriq. *p. 1. tr. 7. res. 43. & 47. & p. 3. tr. 4. res. 67. & p. 5. tr. 7. res. 7.*

29 Licet accipere Sacramenta à Sacerdote existente in peccato, si illum inuenio in loco publico excipientem confessiones, etsi possem accedere ad alium; quia hoc non est inducere ad peccatum, cum ipse se offerat. Ledesm.

&

& alii
esset
illum
non
men
quar
getu
fis,
Hur
trad
V.

Cor

1 I

pue

tr. 4.

2

fess.

ma

tr. 5

3

tus

nu

res.

qui

mi

& alij 4. Imò hoc videtur verum, etsi
esset excommunicatus, nec adesset qui
illum posset absoluere; quia etsi tunc
non videatur posse nisi malè Sacra-
mentum administrare, potest tamen,
quantum est ex vi censuræ, si à me ro-
getur, idque ex vi Concilij Constantien-
sis, ideoque tunc non fiet irregularis.
Hurtad. & Sanch. p. 3. tr. 4. res. 59. & p. 5.
tract. 7. res. 4.

Vide *Absolutio.*

*Confessariorum in confessione sollici-
tantium denuntiatio.*

1 **P**ost bullam Gregorij XV. denun-
tandus est confessarius etiam qui
puerum sollicitavit. Nald. & alij 3. p. 1.
tr. 4. res. 12.

2 In sollicitatione ad turpia à Con-
fessario facta in confessione non datur
materia parva. p. 4. tr. 5. res. 5. & part. 5.
tr. 5. resol. 9.

3 Si Confessarius à muliere sollicita-
tus, eius libidini consensit, non est de-
nuntiandus. Sancius & alij 4. p. 1. tr. 4.
res. 11. Sed contrarium est probabilius,
quia cum consensus fiat verbis, eo ipso
miscet illicitos & inhonestos sermo-
nes,

nes, quod Bulla prohibet. Fagundez. *ibid.*
 & p. 4. tr. 5. ref. 42. Quòd si metu cogere-
 retur ad assentiendum, non esset de-
 nuntiandus. *ibid.* ref. 15.

4 Denuntiatio non est faciendā ex vi
 Bullæ, si sollicitatio fiat in administra-
 tione aliorum Sacramentorum, sed in
 solius Pœnitentiæ. Castro P. & alij 8. *ibid.*
 que etsi Confessarius nullo modo de
 tali crimine esset infamatus. Castro
 & alij 7 p. 4. tr. 5. ref. 16. & 1.

5 Qui confessario mandat, ut sollicitet
 pro se pœnitentem, non est denun-
 tiandus: quia verba legis pœnalis non
 sunt extendenda p. 1. tr. 4. ref. 22.

6 Mulier sollicitans confessarium non
 est denuncianda: quia Bullæ Pontif. in
 confessarios diriguntur, non in pœni-
 tentes. Sancius & alij 2. *ibid.* ref. 23.

7 Interpretes confessionis, etiam Sacer-
 dos, non incurrit pœnas sollicitati-
 um, quia absolute non est confessarius, sed
 potiùs ex parte pœnitentis se tenet. Fa-
 gund. & alij 3. p. 4. tr. 5. ref. 9.

8 Sacerdos, qui non habens facultate-
 tem audiendi confessiones, sollicitat
 feminam in confessione, fingens se ha-
 bere talem potestatem, ex vi Bullæ est
 denunciandus. Sancius & Acugna. p. 1. tr. 4.
 ref. 17.

9 Con

9 Confessarius sollicitans feminam ad peccata quæ non sint carnalia, non est ex vi Bullæ denūtiandus; quia Pontifex loquitur de sollicitatione ad turpia.

Sancius & alij 8. *ibid. ref. 20.*

10 Si pœnitens animo solūm confitendi, se accusauit de voluntate peccandi cum ipso confessario, vnde hic occasionem arripuerit eam sollicitandi, tenetur ipsa confessarium denuntiare.

Secūsdicendum putat Bonacina, si id fecisset animo Confessarium prouocandi ad turpia. *p. 4. tr. 5. ref. 20.*

11 Denuntiandus est Confessarius qui in confessione à pœnitēte vel donum petit, vt eò adducat concubinam, vel pecunias dandas meretrici, vel qui cum pœnitente agit de prostituendâ sibi, vel aliis puellâ, consanguineâ, vel amicâ (Sancius & alij 3. Quia Bulla pœnas decernit Sacerdotibus sollicitantibus pœnitentes ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda. *ibid ref. 45. & p. 1. tr. 4. ref. 19.*

12 Si Confessarius & femina ad inuicem se sollicitent, debet ille denuntiarī. Sousa & Freitas. *p. 4. tr. 5. ref. 14.*

13 Vt debeat Confessarius denuntiarī, satis est si verbis vel signis dubiis sollicitet

112 *Confessarior. in confess.*

citet. (Soufa, Peirin.) vel etiam implicitis, solum v.g. laudando pœnitentiam pulchritudinem. (Barbos. & alij 4.) aut etiam si ex pœnitentiâ à se impositâ nuda verberet (Soufa) aut si in confessione tantum tradat chartam postlegendam, in quâ sollicitet. (Sancius Fagund.) Nec excusat etsi statim post sollicitationem pœniteat eum sollicitet se. Bonacin. & Sanctarel. *ibid. ref. 25.* 47.2. & 22.

14 Confessarij etsi non in ipsâ confessione, sed paulò antè, vel post, vel qui confessionario, sine vllâ tamen confessione, sollicitant, fiunt nihilominus hæresi suspecti, & debent abiurare. Videtur tamen plerisque hæc suspicio esse vehemens, sed leuis. Soufa & alij *ibid. ref. 50. & 51.* Ex quo sequitur, tamen saltem esse denunciandos. Henriq. Scallij 15. At si laicus sedeat in tribunal confessionis, ibique per speciem confessionis, feminam sollicitet, non videtur denunciandus ex vi Bullæ. Quòd si talis etiam absolutionem dedisset, esset hoc titulo denunciandus. Sanctarel. & Aycugn. *p. 1. tr. 4. ref. 13. 14. 15. & 16.* Quòd Confessarius cum pœnitente ante confessionarium stante vel sedente agens

illat

illam sollicitet, quidam sentiunt non denuntiandum, ex eo quòd ne simuletur quidem tunc confessio. (Sancius & alij 3.) Sed propter declarationem Vniuersalis Inquisitionis Rom. non est à contrariâ sententiâ recedendum. p. 4. tr. 5. ref. 38.

15 Si feminâ dicente se non velle iam, sed cras confiteri, Confessarius incipiat illam sollicitare, est denuntiandus. Fagund. Item quando de communi consilio confessionem simulât, vt liberiùs de talibus colloquantur (Sancius.) Aut si feminam ad confessionem accedentem ante crucis signum sollicitet, dilatatâ in aliud tempus confessione, aut si id faciat quando ex aliâ iustâ causâ nō potest eam absolueri. Sancius. Quia in his omnibus casibus sollicitatio saltem fit in confessionario, & per simulationem, vel occasionem confessionis. *ibid.* ref. 6. 10. 39. 46. & 30.

16 Si statim post confessionem ducens puerum ad cubiculum, vt tradat ei chirographum confessionis, ibi eum sollicitet, est denuntiandus, quia iste casus ratione dependentiæ includit confessionem. Castrop. & alij 3. Ar quando propter audita in confessione femi-

H

nam

nam à templo discedentem insequeretur, & sollicitaret, etsi quidam putent denuntiandum, (Lezana & alij 2.) alij tamen id negant. Ego verò de meo nihil hinc assero. *ibid. ref. 11. & 7.* Quòd si prætenu confessionis ad domum penitētis vocatus, etiā ex pacto præcedenti ibi sollicitaret, non est denuntiandus quia in illo casu prætenu confessionis remotus est à peccato: Freitas. *ibid. ref. 37.*

17 Femina etsi consensit sollicitationi tenetur tamē ad denuntiandum, vt resoluit sacra Cardinalium Cōgregatio. Non tamen tenetur fateri proprium consensum, neque de hoc interrogari possunt aut ipsa, aut Confessarius: & quamuis hic vltro diceret, non debet referri in acta, tamquam impertinens ad officium Inquisitionis. *ibid. ref. 31.*

18 Qui audiuit aliquem Confessarium sollicitasse, etsi audiuit ab hominibus infimæ conditionis, famæ, & fidei, tenetur sub excomm. denuntiare Inquisitoribus. Imò ad id tenetur qui hoc intellexit sub sigillo secreti naturalis Castro Palau & Freitas. *ibid. ref. 28. & 32. & p. 1 tr 4. ref. 24.*

19 Denuntiatio facienda est quocumque tempore anni; prius enim editum

dura

durat donec sequenti anno promulgetur nouum. Fagund. & Auila. Quòd si autem negligentia Inquisitorum sequenti anno non promulgaretur, tenerentur alij nihilominus denuntiare, non tantum sub mortali, sed etiam sub pœnâ censurarum; quia cùm confessarij sollicitantes sint suspecti de hæresi, semper sunt denuntiandi. Castrop. & alij 5. p. 4. tr. 5. res. 27. & 41.

20 Qui ignorauit edictum, si iam expirauit terminus præfixus intra quem tenebatur denuntiare, vbi id rescit nō tenetur, nisi infra similem terminum dierum. Sancius. sed Suar. & Filliuc. putant teneri statim. At si quis vltra illum terminum distulit ob iustum impedimentum, tenetur statim. Suar. & Sanci. *ibid.* res. 26.

21 Qui præuidet expirante termino præfixo se fore impotentem denuntiare. putà quia erit absens, tenetur præuenire. Sancius. *ibid.* res. 29.

22 Si femina, quæ ob neglectam denuntiationem incurrit excomm. postea denuntiet, poterit vel per Bullam Cruciatæ, vel per Regularium priuilegia absolui, cùm parti iam sit satisfactū, nec tenebitur fateri Inquisitoribus se

negligentem fuisse in denuntiatione. Sancius. *ibid.* Item potest confessorius absolueri illam quę firmiter promittit se denuntiaturam confessorium, si sub- sit causa propter quam denuntiatio prudenti confessorio videatur differen- da. Idem dicendum est de denuntian- do hæretico Sanctarell. & alij 3. Quod si tamen propter dilatam denuntiatio- nem incurrisset excomm. non potest absolui, nisi antè denuntiet; quia neque à peccatis ante absolutionem à censu- râ, neque ab hac; nisi parti sit satisfac- tum. Sancius & alij 2. *ibid.* ref. 39. & p. 1. tr. 4. ref. 27.

23 Ex vnus femine quantumvis ho- nestę delatione, non est Confessorius in carcerem detrudendus. Illa tamen delatio est sufficiens ad inquisitionem, in qua si Confessorius deprehendatur leuis, & malę vitę, poterit etiam capi. Freitas. Quot autem mulierum testimo- nium vniuersim requiratur, sic penes Inquisitores iudicium. p. 1. tr. 4. ref. 28. & p. 4. tract. 5. ref. 55.

24 Excusatur à denuntiatione, qui probabiliter inde timet graue damnum vitę, famę, vel bonorū in se, vel in cō- sāguineis. Fagund. & alij 5. p. 4. tr. 5. r. 19.

25 Si pœnitens non denuntiavit, sed Confessarius aliunde accusatus fuit, & conuictus abiuravit pro eâdem illâ sollicitatione, non tenetur ampliùs denuntiare. Soufa & alij 3. *ibid. res. 49. & p. 1. tr. 4. res. 26.* Quòd si postea pergeret sollicitare, denuntianda esset vtraque sollicitatio, & hæc & præterita, pro qua fuerat punitus. Freitas *p. 4. tr. 5. res. 21.*
26 Post Bullam Gregorij XV. possunt Episcopi de hoc crimine cognoscere. Bonacin. & alij 3. *p. 1. tr. 4. res. 29.* In regnis tamè ubi est Inquisitio Hispanica non possunt separatim ab Inquisitoribus de eo cognoscere, sicut non possunt de ceteris causis fidei. Molina & alij 4. Imò & in locis in quibus non est illa inquisitio, etsi possunt Episcopi de causâ cognoscere, non tamen ferre sententiâ sine Inquisitoribus, non tantum condênatoriam (Molin. & alij 6.) sed etiam absolutoriam. Azor & alij 5. quamvis hoc posterius alij negent. Molina & alij 2. *p. 4. tr. 5. res. 52. & 53.*

Confessio.

1 **C**onfessio quocumque fine fiat, etiam venialiter malo, non redditur inde inualida quamdiu suscipiens

per hoc non peccat mortaliter. Vasq.
& Soto. p. 4. tr. 4. res. 212.

2 Quando quis confitetur peccata
olim confessa, tenetur elicere nouum
dolorem: (Henriq. & Filliuc.) quamuis
contrarium teneant Ledesma & Io. de
la Cruz. p. 3. tr. 4. res. 116.

3 Probabilius est, ad remissionem pec-
catorum venialium extra Sacramen-
tum Pœnitentiæ in iustis sufficere attri-
tionem cum proposito illa vitandi in
posterum. Suarez & alij 2. in confes-
sione verò sufficit si doleat tantum de
aliquo, cum proposito illud vitandi,
quia vnum peccatum veniale remitti
potest sine alio. *ibid.* res. 117.

4 Si pœnitens post narrata peccata
eliciat actum doloris, & dicat: *Doleo de
peccatis narratis*, & petat absolutio-
nem; hæc sola verba sufficiunt ad ve-
ram rationem confessionis quæ est pars
essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Bo-
nacin. *ibid.* res. 134.

5 Attritio de peccatis ob malum tem-
porale, quatenus id prouenit à Deo,
est sufficiens ad confessionem, & eius
effectum; non verò si est ob malum
temporale, vt aliunde eueniens, vel
euenturum, & sine respectu ad Deum.

Murtad.

Hurtad. & alij 2. p. 4. tr. 4. ref. 193.

6 Qui vesperi examinans conscientiam elicit dolorē de peccatis, proponens sequenti die confiteri, etsi nullum de nouo dolorem tūc eliciat, valida est confessio. Præpos. Imò quantouis tempore præcesserit dolor, sufficiet quamdiu non fuit retractatus. Hurtad. part. 5. tr. 14. ref. 67.

7 Potest dari confessio valida, sed informis, nō solūm ex defectu examinis, sed etiam ex defectu doloris. D. Thom. & alij 11. p. 2. tr. 17. ref. 31. & part. 3. tr. 4. ref. 65. Quare non tenetur tunc pœnitens eadem peccata iterum confiteri, sed ea tantūm quæ omisit, & negligentiam, per quam sunt omissa. *ibid.*

8 Ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum, sufficit implicitum propositum nō peccandi in posterum, quod in ipsā detestatione peccatorum virtualiter continetur: quare si quis occupatus, vel in conscientia examinanda, vel in vitā antea actā detestanda, vel in Dei misericordia imploranda, vel in amore Dei excitando, non cogitet actu dicens, *Volo abstinere à peccatis*, sed bonā fide eat ad confessionem, verè est contritus, quia in illis actibus suprā me-

moratis includitur sufficiens propo-
 tum vitæ emendandæ. Granad. & Syl-
 multò magis id sufficit quando qui
 in articulo mortis confitetur. Suar. &
 alij p. 3. tr. 4. ref. 119. & p. 5. tr. 14. ref. 66. &
 p. 6. tr. 7. ref. 34.

9 Confessio per litteras valida est, quo-
 ties pœnitens ignorat decretum Cle-
 mentis VIII. aliàs enim sic confitendi
 peccaret, sed quamuis confessarius illud
 sciret, adhuc validè absolueret. Gam-
 mach p. 5. tr. 14. ref. 60.

10 Si quis prohibitus verecundiâ, nō
 auderet peccata ore confiteri, non pec-
 caret mortaliter, si per scriptum præ-
 senti Sacerdoti confiteretur. Vasq. &
 alij 5. Item si ægrotus præ gutturis &
 faucium dolore ægrè posset confiteri,
 posset autem faciliùs per schedam, om-
 nino esset absoluendus; quia consuetu-
 do ore confitendi, non obligat tam
 grauitè Layman. p. 3. tr. 4. ref. 127.

11 Neque in Paschate, neque in arti-
 culo mortis tenetur per scriptum con-
 fiteri, qui aliter nō potest: quia hic con-
 fitendi modus de se est publicus. Hen-
 riq. & alij 10. quamuis contrarium pro-
 babile sit. Granad. & alij 3. *ibid* ref. 128.
 & p. 5. tr. 6. ref. 4. vti & per interpretem
 confis

confiteri, nemo tenetur: est enim aliquo modo publica confessio. At si ægrotus probabiliter dubitat, an habeat contritionem, tenetur ex caritate sui per interpretem confiteri, si aliter nequit, ne se exponat periculo dānationis (Vasq. & alij 5.) Potest tamen subdicere peccata maioris infamiae; imò, potest confiteri aliqua venialia in specie, & generatim omnia mortalia (Coninc & Melfes.) Tamen in eo statu consulendum est omnia peccata confiteri, quia interpretis tenetur seruire sigillum, & de contritione semper est dubitandum. *part. 3. tr. 4. ref. 129. & p. 5. tr. 3. ref. 71. & 72.*

12 In nullā necessitate confessio facienda est laico, nisi fortè consilij causā, vel simili. Vnde mos nautarum, quo sibi mutuo tunc confiteri solent, tamquam abusus tollendus, sed potius de contritione tunc cogitent. Fagund. & alij 3. *p. 5. tr. 3. ref. 73.*

13 Pœnitens qui labilis est memoriæ, non tenetur scribere peccata: quia etsi iubemur præmittere sufficiens cōscientiæ examen; non tamen conseruare memoriā peccatorum. Vasq. & alij 4. *p. 2. tr. 17. ref. 46.* neque post mediocrem adhibitā in eo diligentiam, tenetur vl-

terius de antea actâ vitâ cogitare; quod si quid occurrat, quod non videatur explicatum in confessione, poterit sibi persuadere, illud cum ceteris fuisse memoratum. Sancius *p. 3. tr. 4. ref. 107.*

14 Qui accedit ad Confessarium, generalem confessionem facturus, non tenetur aperire omnia peccata mortalia. Henric. Quod si non vult Confessario manifestare se aliquod peccatum commississe ab ultimâ confessione, potest illud confiteri inter alia prius confessâ. Bonacin. *ibid. resol. 86. & 62.*

15 Qui duos habet Confessarios, quorum alteri confitetur mortalia, alteri venialia, non peccat: est enim confessio integra, neque est vera hypocrisis, neque mendacium; Suarez & alij 5. Per accidens posset esse mortale, si ob hanc causam poenitens maneret in occasione peccati mortalis. *ibid. ref. 132.*

16 Qui solum meminit se peccasse mortaliter, speciem autem peccati non recordatur, potest illud in genere confiteri: est enim sufficiens materia absolutionis. Coninc & alij. *ibid. ref. 66.*

17 Quando multis imminet periculum vitæ, ut in naufragio, bello, peste, &c. possunt omnes simul aliqua pecca-

ta confiteri; aut si periculum aliud non permittat, signo aliquo significare se peccasse in communi, & dolorē ostendere, & sic omnes simul vnicā formā absolui: talis enim confessio est formaliter integra Coninck & alij 4. p. 2. tr. 16. ref. 41. & p. 5. tr. 3. ref. 71.

18 Habens casus reseruatos urgente necessitate communicandi, ad vitandam grauem infamiam, potest confiteri non reseruata, & reticere reseruata: (Soto & alij 3.) vel potest elicere actum contritionis, & sic communicare absque confessione. Sancius & alij 3. Sin peccata reseruata habeant annexā excomm. potest conteri, & sic communicare; (Vasq. & alij 7.) vel si est tantum attritus, potest confiteri inferiori Sacerdoti non reseruata. Villalob. & alij p. 3. tr. 5. ref. 68. & tr. 4. ref. 104. & p. 5. tr. 13. ref. 10.

19 Cū omnes contumeliæ sint eiusdem speciei, & conueniant in ratione formali, quæ est intentio ladendi alterius famam, satis est in confessione dicere: *Toties contumeliā affeci meum proximum; nec necesse est addere: Illum vocaui ebrium, scurrā, furem, &c.* Azor. & alij 6. Idem dicendum de iudiciis teme-

temerariis vel detractionibus. *p. 1. tr. 1. res. 28. & p. 3. tr. 4. res. 67.*

20 Peccatum odij videtur vnius tantum esse speciei; quare sufficit vt poenitens dicat se toties odisse proximum neque opus est explicare an illud odij versetur circa famam, diuitias, &c. Quod licet mala volita specie differant; tamen optantur sub vnâ ratione formali, quod est odium proximi: Bonacin. & Ledema. Quamuis contrarium sit etiam probabile, quod docent Suar. & Sylu. *p. 1. tr. 7. res. 30 & p. 3. tr. 4. res. 67.*

21 Qui integro anno non restituit, vel legit horas Canon. satisfacit hoc dicendo in confessione, etsi aliquoties inter annum doluerit de culpâ, & statuerit recitare, vel restituere. *Granad. p. 5. tr. 1. res. 55.*

22 Quando repetitur sæpius eadem peccandi voluntas, sunt plura numeranda peccata in confessione exprimenda, sed interrupta fuerit illa voluntas naturalis obliuione, quod tamen quidam negant (Homob. & alij 4.) seu contrariâ voluntate. Bonacin. & alij. *p. 3. tr. 4. res. 95.*

23 In eodem actu physico inueniri possunt plura numero peccata in confessione explicanda. Ita qui statuit peccata

totam

totam Quadragesimam non ieiunare,
 tot peccata committit, quot sunt dies
 Quadragesimæ. Qui eodem verbo lædit
 grauiter famam trium, tria committit.
 Qui vnico verbo quatuor ad peccan-
 dum inducit, quatuor committit. Con-
 iugatus cum alterius vxore adulterium
 committens, contra iustitiam bis pec-
 cat. Vasq. & alij 6. Qui vno ictu occidit
 tres clericos, in tres excomm. incurrit:
 fecus autem qui ter eundem clericum
 percutit. Molina, Salas, & alij. Non est
 tamen improbable obiecta numero
 diuersa, non multiplicare peccata, sed
 tantum aggrauare; & ideo non esse ne-
 cessario confitenda. Megal. & alij. *ibid.*
res. 67. & 164. & p. 1. tr. 7. res. 17.

24. Duratio temporis non est in con-
 fessione aperienda quatenus est circum-
 stantia aggrauans, sed quatenus pœni-
 tens per illam circumstantiam declarat
 numerum peccatorum, quæ v. g. com-
 misit per annum, quando aliter com-
 modè explicari non potest. Vasq. & Ze-
 rol. Imò docet Zanard. non esse opus
 vt qui totâ nocte cum amasiâ fuit, di-
 cat quoties sit fornicatus, sed sufficere
 si dicat, & feci quod potui; modò non
 habuerit interruptionem mentis, vel
 operis

operis, sed fallitur. *p. 1. tract. 7. ref. 39. & p. 3. tr. 4. ref. 67.*

25 Peccator qui diu fuit in malo statu, & cōsuetudine inueteratā alicuius peccati, ita vt non possit designare numerum, satisfacet declarando tempus quod vixit in tali statu. Tamen meretrix debet, etiam præcipuas species peccatorum enumerare, vt si peccauit cum sacerdote, cum coniugato, cum affine &c. Suar. & alij 5. Hinc infertur, non esse cogendos rusticos ad priores confessiones repetendas factas sine specificatione, numero, & diligentia. Henricus & Fagund. *p. 3. tr. 4. ref. 89.*

26 Qui sepius vouit, aut iurauit se aliquid facturum, violando votum aut iuramentum, vnum tantum peccatum committit. Fagund. *ibid. ref. 90.*

27 Qui voto, vel præcepto prohibito est ludere, si totā nocte cum quatuor vel quinque ludat, non nisi vnicuius committit peccatum. Azor. & Sancio *p. 4. tr. 4. ref. 45.*

28 Si quis sine interruptione moræ multoties osculetur pudenda alicuius femine, vel pueri, sufficit vt in confessione dicat, Osculatus sum solutam, vel puerum; & nō est opus explicare, quod

talis tactus, vel osculum fuerit in partibus pudendis; quia hæc est tantum circumstantia aggrauans *p. 3. tr. 4. ref. 225.*

29 Qui fornicatus est, si in confessione solum dicat: commisi graue peccatum in materiam castitatis cum soluta, per tantum aliqui eum probabiliter satisfacere. Turrian. sed an ita sit, alij iudicent. *ib. ref. 88.*

30 Testis simul rogatus de pluribus articulis sub iuramento, & in omnibus mentitus, non tenetur in confessione id explicare; quia tantum est vnum peccatum. Quod etiam procedit quando vel execrationes, & iuramenta per Deum, & per Sanctos, vel scripturas publicas super eadem re multiplicat, satis enim est dicere, *Transgressus sum iuramentum, & non adimplevi quandam obligationem.* Henric. *p. 1. tr. 7. ref. 40.*

31 Qui bona fide maiorem peccatorum mortalium numerum expressit in confessione, non tenetur illum errorem in proximam confessionem accusare: quia illa confessio fuit integra: quippe in numero maiori minor numerus continetur. Bonacin. *p. 2. tr. 17. ref. 25.*

32 Si quis post diligentem conscientiae discussionem dubius manet, an mortaliter peccauerit, & in neutram partem

tom

tem inclinatur, debet peccatum illud sub
dubio confiteri. Suarez, & alij 14. et
quidam contrarium probabile putant.
Præpos. & alij. quod tamen probabile
non est. Aliud est si probabiliter iudi-
cetur se vel non commisisse peccatum
vel non esse mortale, vel se esse con-
fessum, tunc enim ad nihil teneretur,
quamvis contrarium iudicaret proba-
bilis. Mærat. & alij p. 3 tr. 4. ref. 60. &
p. 4. tr. 3. ref. 5. & p. 5. tr. 14. ref. 113. & p. 6.
tr. 6. ref. 32.

33 Qui confessus de peccato ut du-
bio postea comperit se illud commisisse
se, tenetur illud in confessione aperire
ut certum. Quidam tamen in contra-
rium inclinatur. Lugo & Bresser. Sed hoc
non procedunt quando pœnitens in-
tegrè confessus est quod fecit, dubitatur
tamen an esset mortale. Sanchez &
Turriã p. 3. tr. 4. ref. 91. & p. 6. tr. 6. ref. 31.

34 Qui mentitur se veniale peccatum
admississe, quod est tota materia con-
fessionis, peccat mortaliter: quia reddit
Sacramentum nullum. Suarez & alij
10. quamvis contrarium affirmet Phi-
lippus Faber. *ibid.* ref. 96.

35 Qui per ignorantiam omisit aliquid
quod peccatum in confessione, eò quod
erro

erroneè putaret non esse tale, si postea sciuerit illud esse mortale, etsi error vincibilis fuerit, non tenetur repetere priorem confessionem, sed tantum cōfiteri quod fuit omissum. Vasq. & alij 4. Item si post confessionem aliquam inuvalidam fecit quis debitè aliquas intermediarias, in quibus tamen ex obliuione non est confessus defectum inuvalidæ confessionis, non est opus omnes priores confessiones reiterare, sed sufficit solum defectum nullitatis, & peccata in ea confessione explicata aperire; quia confessiones intermediaræ validæ fuerunt. Vasquez & Sancius. *ibid. ref. 108.*

36 Si pœnitens bonâ fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Cōfessario resedit ob surditatem, somnolentiam, aut animi euagationem, absolutio data valida est: si tamē postea cognoscat, vnum vel plura peccata mortalia non fuisse à Cōfessario intellecta, debet ea sola cum aliis postea commissis, in sequenti confessione iterum explicare. Henriq. & Layman. *ibid. ref. 109.*

37 Qui bonâ fide confessus est Sacerdoti valdè ignorantem, nō tenetur postea confessionem iterare. Secus autem si de industriâ quæsiuit Cōfessarium

I

igna-

130 *Confessionis praeceptum.*

ignatum, & insufficientem. Henric. & Sanch. *ibid. res. 121. & p. 5. tr. 14. res. 22.*

38 Non videtur iteranda confessio facta Confessario intruso, qui cum falsis literis se gerit pro Parocho: quia ex errore communi confertur iurisdictione, etiam sine titulo colorato. Pontius & alij 2. Hinc si poenitens sciat Confessarium non habere iurisdictionem, quod ipse Confessarius & populus ignorant, poterit ab illo petere absolutionem, quae validè conferetur. *p. 3. tr. 4. res. 122.*

Vide *Circumstantia. Confessarius.*

Confessionis praeceptum.

1 **S**urdus & mutus tenetur confiteri per signa: imò quando obligatur praeceptum, potest absolvi etiam si nullum peccatum ex eius signo intelligi possit, modò significetur dolor. quod a fortiori procedit in articulo mortis. Fernand. Imò teneretur quiuis in illis casibus confiteri per signa, quando Confessarius esset surdus. Hurtad. *p. 5. tr. 6. res. 3. & 19.*

2 Nullus ob periculum obliuiscendi multa peccata mortalia, tenetur iure diuino ante annum confiteri. Henric. & alij *p. 3. tr. 4. res. 155.*

3 Si quis confessionem fecerit intra annum, implevit præceptum annuæ confessionis, neque tenetur postea in Quadragesimâ, aut in Paschate confiteri; nisi teneatur alio titulo: ut si suscepturus Eucharistiam in Paschate, sibi conscius est peccati mortalis, aut in articulo mortis. Suarez, Vasq. & alij 14. *ibid. res. 81. & p. 2. tr. 17. res. 54.* Quod si aliquis non sit confessus illo anno, & confiteatur initio sequentis, si simul addat etiam aliquod peccatum mortale illo sequenti anno commissum, satisfacit etiam simul præcepto pro illo anno. Hurtad. *p. 4. tr. 4. res. 206.*

4 Si quis in Paschate habeat peccata mortalia, quæ ex iustâ causâ nõ debeat Confessario aperire, non tenetur venialia confiteri: quia nulla lex obligat fideles ad peccatorum venialium confessionem. Suarez. *p. 3. tr. 4. res. 75. & 125.* Contrarium tamen est probabilius. Hurtad. & Granad. *p. 5. tr. 13. res. 9.*

5 Qui in confessione Paschatis post adhibitam sufficientem diligentiam, omisit aliqua peccata per obliuionem, & paulò post confessionem redit in memoriam illorum, potest illa differre in sequentem annum. Suarez & alij 10.

132 *Confessionis præceptum.*

part. 3. tractat. 4. resol. 124.

6 Probabile est, per confessionem in-
validam ex culpâ pœnitentis, præce-
ptum annuę confessionis impleri, atque
adeò vitari pœnam excomm. à Consti-
tutionibus Episcopalibus impositam
transgredientibus hoc præceptum: quia
Ecclesia solùm externum confessionis
actum potest præcipere. Fagund. & alij
5. Contrarium tamen est probabilius.
Suarez & alij 11. *ibid. res. 120.*

7 Qui prævidet, quando obligabit præ-
ceptum, se non habiturum copiam Cō-
fessarij, debet præuenire tempus. Suarez
qui verò non impleuit præceptum an-
nuę confessionis, tenetur primo quo-
que tempore confiteri. Suarez & alij 8.
Tamen negatiua sententia est probabi-
lis. Syluest. & alij 5. Posito autem quòd
teneatur, etsi quò diutiùs illam differt
sine causâ, eò magis peccet; non tamen
peccat toties quoties datâ opportuni-
tate non confitetur. Valent. & Molfes.
ibid. res. 69. 130. & 135.

Confirmatio.

1 **A**D Confirmationem requiritur
chrisma ex oleo & balsamo & ab
Episcopo consecratum. Coninc &
alij

alij 9. Quia tamen probabile est, oleum sufficere (Valent. & alij 18.) si cui hoc Sacramentum ministratum est cum oleo simplici, non est iterandum, nisi sub conditione. *p. 3. tr. 4. res. 23.*

2. Et si Episcopus omittat aliquas cæremonias in benedictione chrismatis, non obstat valori. Imò probabile est, etsi totum ritum consecrandi mutaret, modò fiat commixtio olei cum balsamo, & adsit Spiritus S. inuocatio. *Suar. & alij 3. p. 6. tr. 8. res. 21.*

3. Necessarium est necessitate Sacramenti, vñctionem Confirmationis ab Episcopo fieri manu immediatè; si tamen Episcopus vngeret alio digito quàm pollice, nolim illum damnare peccati mortalis. Nugnus. Imò & quidam putant Sacramentum constare, etsi vñctio fieret alio instrumento extrinseco. *Fernand. p. 3. tr. 4. res. 22. & 28.*

4. Verba formæ huius Sacramenti sunt hæc: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Notandū, expressam sanctæ Trinitatis inuocationē esse necessariam, & essentialem; vti & expressionē signi Crucis, vt vera sint verba formæ. *Coninc & Filluc. ibi. res. 27.*

- 5 Pueri ante septennium possunt confirmari, si vel usum rationis habeant vel diu occasio non est futura, vel sit in periculo mortis, vel in diocesi consuetudo vigeat. Layman. imò non est prohibitum confirmare infantes sine dictis causis, etiam ante usum rationis. Granad & Hurtad. Nota, eum non peccare mortaliter, qui per negligentiam non suscipit Sacramentum Confirmationis, modò absit scandalum, & contemptus. D. Thom. & alij 9. *ibid.* ref. 19. & 20. & p. 5. tr. 3. ref. 30. & 31.
- 6 Perpetuò amentes sunt confirmandi, maximè si quis post usum rationis incidit in amentiam; adest enim tunc interpretatiua voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta. Suarez & alij 8. p. 3. tr. 4. ref. 20.
- 7 Episcopus potest confirmare eum, qui offert litteras dimissorias sui Episcopi ut ordinetur, si non est confirmatus, quia qui concedit finem, concedit necessaria ad finem: at Confirmatio promittenda est Ordinibus. Layman & alij 2. Episcopus tamen in suâ diocesi ordinans aliquem non confirmatum, non peccat mortaliter. Idem dicendum de eo, qui accedit ad Ordines non confirmatus.

firmatus. Zambran. *ibid. ref. 14.*

8 Episcopus confirmans in suâ dicece-
si, potest etiam confirmare subditos al-
terius Episcopi ad se accedentes, quia
presumitur id gratum alteri Episco-
po. Tanner. & alij. *p. 4. tr. 4. ref. 50.*

9 Circa patrinum Confirmationis
hæc sunt notanda. 1. illum non contra-
here obligationem instruendi confir-
matum; quia id iure non est statutum.
2. si non confirmatus teneat alterum
in hoc Sacramento, non contrahere
cognitionem spiritalem, quia non est
legitimus susceptor, & probabile est
non peccare mortaliter. 3. Susceptorẽ
Confirmationis debere esse alium ab eo
qui suscepit in Baptismo, nisi necessitas
id non ferat. Secus tamen faciens, non
peccat mortaliter. 4. Religiosos mendi-
cantes posse esse patrilinos in Sacramẽ-
to Confirmationis, & Baptismi: quia
nomine Monachorum excluduntur
tantum ij qui solitudinem colunt. Co-
ninck & alij. *p. 3. tr. 4. ref. 21.*

Consecratio, & Benedictio.

1 PYxis in qua asservatur SS. Eucha-
ristiæ Sacramentum, non est ne-
cessariò consecranda, aut benedicenda:

I 4

quia

136 *Consecrat. & Benedict.*

quia id nullo iure præcipitur. Henricus
& alij 7. neque est necesse in eâ haberi
pallam ex lino confectam, & benedi-
ctam, ad Christi corpus excipiendum.
Nagnus. p. 2. tr. 15. ref. 2.

2 Potest quis celebrare in calice & pa-
tenâ nondum consecratis, & cum ve-
stibus nondum benedictis, si alius Sa-
cerdos bonâ fide cum ipsis antea cele-
brauit, quia hoc ipso consecrata fue-
runt. Cælestin. & alij 3. p. 2. tr. 14. ref. 69.
& p. 5. tr. 13. ref. 60.

3 Quando interior Calicis superficies,
quæ Christi sanguinem tangit, iterum
deauratur, non videtur de nouo con-
secrandus. Idem est de patenâ. Coninck
& Layman. p. 2. tr. 15. ref. 3.

4 Cingulum fractum non amittit be-
nedictionem; licet enim vtri parte lon-
giori, aut duabus partibus simul nexis,
absque nouâ benedictione. Sa, & alij 4.
ibid. ref. 4.

5 Si res benedictæ vel consecratæ a-
mittant consecrationem ex eo quòd
non maneant in eâdem formâ, tunc
poterunt etiam conuerti in vsus profa-
nos. Castropal p. 5. tr. 13. ref. 76.

6 Campanam benedictam pulsari dñi
quis supplicio est afficiendus, vt alij
pro

pro ipso orent, non est illicitum. p.6.
tr.7.ref.37.

Consilium.

1 **Q**uando quis decreuit committere graue aliquod peccatum, licet ei suadere minus, dummodò tamen nullum creetur damnum seu corporale seu spiritale alicui tertio: vt si velit auferre 100 à Petro, non possum suadere vt potius auferat 50. à Paulo, nisi per se antè dubitabat, vtrius res vellet auferre. Vasq. & alij 12.p.3 tr.5 ref.37.

2 Quando agitur de minori malo inferendo eidem personæ, non tantum potest quis suadere minus, sed etiam ad illud cooperari, quando aliàs esset inferendum maius: nam tunc Dominus non potest quoad hoc esse rationabiliter inuitus. Hoc tamen solum habet locum quoad bona, quorum dominium habetur, non autem cum agitur de auferendis bonis vitæ, vel corporis; nam in his non potest præsumi rationabilis voluntas Domini. Vasq. & alij 3.p.5 tr.7.ref.19.

Consuetudo.

1 **R**ationabilis consuetudo est, quod seclusâ lege cui repugnat, nihil

continet deformitatis. Sanch. & alij. Et in dubio præsumenda est rationalis nisi ipsa sit à lege reprobata. Suar. & alij. Vnde in materiâ etiam præcedenti potest obtinere, quamvis minùs dignum præponat digniori, si ex aliqua causâ id fiat. Menoch. & alij. p. 6. *tr. res. 1. & 29.*

2 Ad consuetudinem legitimè præscriptam decennium sufficit. Castrop. & alij. Contra leges tamen canonice probabiliùs requiruntur 40. anni. Less. & alij 18. Et hæc siue inter præsentis, siue inter absentes. Suar. & alij 4. & æqualiter quoad internum forum, vel externum. Sed tempus illud per vnicū etiam actum interrumpitur. Idemque quoad omnia est vt posterior consuetudo abroget priorem. Castrop. & alij 6. *ibid. res. 2. 3. 5. 4. 27.*

3 Ad consuetudinem legitimam requiruntur actus voluntarij, & consequenter non ex errore, aut coactione. Granad. & alij. Item vt fiant ex intentione inducēdi obligationem. Bellarm. & alii. Quod colligitur 1. si sint difficiles, & tamen communiter à populo fiant. 2. si populus offendatur, dum non fiunt. 3. si puniantur non seruantes cō-

suetu-

suetudinem. 4. si eius materia multum
conferat Reipub. Suar. & alij 3. Non ta-
men requiruntur vlli actus iudiciales,
quibus scilicet secundum consuetudi-
nem iudicetur. Suar. & alij 12. Nec re-
quitur consensus Principis expressus,
sufficit is qui continetur in iure sta-
tute consuetudinem posse contra
legem prevalere. Suar. & alij. Sed pro-
pter decisionem Rotæ Rom. tenendum
est, quoad leges ecclesiasticas requiri ex-
pressum consensum Papæ. *ibid. ref. 9. 10.*
11. 8. 13.

4. Consuetudinem introducere pos-
sunt qui possunt legem statuere. Hinc
debet esse communitatis. Suar. & alij 3.
Et in ordine ad solos subditos: unde
non extenditur de loco ad locum; vel
de personâ ad personam, vel de casu
ad casum. Suar. & alij. Nec consuetudo
laicorum potest obligare Clericos, nisi
vel indirectè, vel interueniente consen-
su tacito superioris ecclesiastici. Syluest.
& alij. Possunt autem & mulieres con-
suetudinem legitimam introducere
quoad ea quæ ipsas solas spectarēt. V. G.
ieiunandi in Sabbatho ad honorem
B. Mariæ. Montefin. *ibid. ref. 14. 17.*
31. 16. 15.

5 In concursu consuetudo particularis præualet generali. Rota & alij. Item in clausulâ generali derogante cuius consuetudini, non comprehenditur immemorabilis. Castrop. & alij 8. Nisi esset iniqua, & irrationabilis. *ibid.* *fol.* 31. & 32.

6 Consuetudo habet vim interpretandi legem, etiam introducendo sensum aliquem cum legislatoris mente minus conuenientem. Caietan. & alij 2. Imò & abrogandi legem, quamuis hæc prohibeat omnem consuetudinem contrariam, non tamen si eam reprobet ut irrationabilem, nisi fortè mutatis circumstantiis desinat esse irrationabilis. Sanch. & alij 5. Quando autem lex consuetudinem contrariam improbat terminis generalibus intelligitur solum de præteritâ, non de futurâ. Suar. & alij. Imò quoties consuetudo præcedens est generalis, abrogatur per legem posteriorem, etsi de eâ non fiat mentio, non tamen quando est particularis alicuius loci, vel certi generis personarum: tunc enim præsumitur ignorari. Montesin. Ut verò etiam tunc sit opus clausulâ derogatoriâ consuetudinis, debet hæc esse legitimè præscripta. Castrop. & Mal.

Maso
7 P
pœn
ligat
Et c
secè
alij 4
8 V
ne n
vt Sa
beri.

1 IN
-le
100.
lio c
solue
trah
si m
dius
Iulic
Ioan
Iulic
petie
à la
ctur
pen
Iulic

Mascard. *ibid.* ref. 24. 21. 23. 22. 25. 26.

7 Potest consuetudo abrogare legem
pœnalem quoad pœnam, manente ob-
ligatione quoad culpam. Suar. & alij 9.

Et contrà; nisi pœna supponat intrin-
secè culpam, vt fit in censuris. Suar. &
alij 4. *ibid.* ref. 19. & 20.

8 Vni Doctore testanti de consuetudi-
ne non habetur fides in foro externo;
vt Sacra Rota: sed in interno potest ha-
beri. Granad. & alij 2. *ibid.* ref. 28.

Contractus.

1 IN Sicilia frequens est hic cōtractus.

Ioannes v.g. mense Ianuar. vendit
100. modios frumenti Petro mense Iu-
lio consignandos, quo tempore Petrus
soluet pretium, quod taxant ipsi con-
trahentes mense Ianuar. hoc modo, vt
si mense Ianuar. quo fit contractus, mo-
dius frumenti valeat 40. solidis, mense
Iulio soluantur 43. Notandum tamen,
Ioannem venditorem frumenti mense
Iulio, teneri illud dare Petro, quoties
petierit toto illo tempore intermedio
à Ianuario ad Iulium, quo tempore di-
ctum frumentum stat periculo, & ex-
pensis Ioannis venditoris. Si verò mense
Iulio Petrus non acceperit frumentum,

Ioannes

Ioannes debet illum monere, & cogere ut accipiat; sin nolit, protestatur de interesse, & expensis, & posthac periculum erit penes Petrum. Hic contractus est licitus, modò illa venditio non sit ficta: est enim contractus veræ emptionis & venditionis; & illud quod Ioannes accepit ultra pretium currens, iuste accipit pro expensis, laboribus, & periculis subeundis, conseruando frumentum ad mensem Iulium. *p. 1. tract. resol. 65.*

2 Contractus massarij ad mercatores vulgò dictus, *alla meta*, est licitus, et vendens non sit agricola, nec dominus prædiorum, neque in solidum se obliget cum aliquo qui talis sit: sufficit si habeat frumentum in potentiâ morali scilicet ut possit illud emere. *ibid. resol. 66.*

3 Si in dicto contractu venditor non tradat frumentum tempore præfixo non potest emptor petere, nec accipere summum frumenti pretium, sed et præteritis pretiis inter summum & infimum debet eligere medium. Si tamen illo tempore quo summum fuit frumenti pretium, emptor illud vendidisset, posset summum exigere. Molina & alij 7. Eiusmodi autem contractus potest

test
post
pale
& a
4
Tur
frut
mun
pro
libu
5
in c
si de
si n
tr. 8.
6 C
suâ
pro
tion
affe
ibid
7
den
mil
exce
test
rari
pot
illa

test sæpiùs renouari citra fraudem, & postea adiici interesse ad sortem principalem, ratione lucri cessantis. Scaccia & alij 6. *ibid. res. 17. 18. 19.*

4 In magnâ annonæ penuriâ licet à Turcis & infidelibus emere carnes, aut frumēta, vel cum illis alias merces permutare; quia in necessitate non est prohibitum commercium cum infidelibus. Swar. & alij 3. *p. 2. tr. 16. res. 34.*

5 Pœna conuentionalis non debetur in conscientiâ ante sententiâ iudicis, si debitor non sit in mora culpabili, vel si non sit moderata. Vasq. & alij 6. *p. 1. tr. 8. res. 29.*

6 Qui non soluit tempore debito sine suâ culpâ, an censeatur esse in morâ; ac proinde teneatur ad pœnam conuentionalem, vtrunque probabiliter alij asserunt, alij negant, apud à S. Fausto. *ibid. res. 43.*

7 Si pupillus, vel minor 25 annis, ludendo perdidit, vel alio contractu promisit se soluturum, non tenetur, sed exceptione legis ciuilibus defendere se potest, dummodò se soluturum non iuravit. Si autem pupillus creditori soluit, potest creditor in foro conscientiæ rem illam retinere, donec beneficio legis ciuilibus

uilibus

uili ab eo repetatur. Si pupillus, aut eius nomine tutor rem aliquam indebitè solutam repetere velint, & propter negligentiam iudicis recuperare non possint, compensationem seu clamor, seu palam facere non prohibentur. Layman p. 3. tr. 5. ref. 44.

8 Contractus qui vulgò dicitur *Lotta*, non est iniustus, quando neque res, neque ministroꝝ opera, pluris taxantur quam valent, neque etiam plures adhibentur ministri, aut longiori tempore quàm necessè sit. Filliuc. & alij p. 1. tr. 8 ref. 81.

9 Si quis capitale maius in sponsione aliquà exposuerit, potest is qui habet capitale minus acceptare sponsionem, & lucrari illud plus sine onere restitutionis; modò alter, cuius pecunia maior est, norit inæqualitatem, & consentiat, quia scienti & consentienti non fit iniuria. Azor. & alij 2. *ibid.* ref. 66.

10 In casu quo plures v. g. quatuor adspirant ad idem officium, si quis cum singulis separatim certet eos non adepturos officium, probabile est iustè lucrari, nec teneri restituere, etsi sic necessariò debeat vincere à tribus, nec possit vinci nisi ab vno. Sanch. p. 4. tr. 4. ref. 185.

11 Quag-

11 Quando quis pluribus obligat operam suam singulis in solidum, & illa æquè commoda est singulis, ac si pro illis solis fuisset exhibita, potest à singulis tantum exigere, quantum ab vno posset, si pro eo solo laborasset, modò id nullo iure positivo prohibeatur. *Lesius p. 3. tr. 5. ref. 76.*

12 Qui conduxit operam alicuius, si stetit per conductorem ob casum fortuitum, quò minùs locator operam suam præstaret, non tenetur ad integram mercedem, si locator alium non inuenisset conductorem, nisi iste illum conduxisset; aut si potuisset inuenire si voluisset, & per negligentiam omisit, quia voluit esse otiosus. *Rebell. & Valerius. ibid. tr. 6. ref. 14.*

13 Probabile videtur, posse aromatarium locare suam tabernam cum omnibus vasis & medicamentis ad certum tempus, illaque conductori tradere certo pretio æstimata, cum expresso pacto, vt teneatur conductor singulis annis soluere decem pro centenario pretij æstimati, & in fine conductionis restituere vasa & medicamenta eodem pretio æstimanda. Quia licet periculum rerum apothecæ sit penes conductorem

ex vi æstimationis, & in hoc iste contractus transcendat terminos locationis, cui hoc est proprium, vt rei locati periculum pertineat ad ipsum locatorem, nihilominus manet locatio, quia sic transactum est inter contrahentes. Valerius & Caualean. p. 1. tr. 8. ref. 89.

14 In contractibus qui celebrantur in gratiam vtriusque contrahentis, si quid damni accidat sine culpâ alterius, in foro quidem externo nihil debetur ratione damni, at in foro conscientie diuidendum est dampnum inter vtrumque, vt si equus conductus moriatur in itinere sine culpâ conducentis. Paludan. & Valerius p. 3. tract. 6. ref. 10.

Contritio.

Peccator non obligatur præcepto contritionis nisi in articulo mortis, aut eius periculo, quando non potest suscipere Sacramentum Pœnitentiæ. Vasq. & alij 3. neque necesse est omnia peccata sigillatim in memoriam reuocare, vt de illis contritionem eliciat, sed sufficit vt illa vniuersim detestetur. Layman. & Villalob. p. 5. tr. 13. ref. 33. & p. 3. tr. 4. ref. 118.

Cor-

Correptio fraterna.

1 **R**atò concurrunt circumstantiæ omnes, vt præceptum correptionis fraternæ obliget sub mortali, præterquam in Prælatis, quorum maior est obligatio subditos corripiendi. Vnde facile potest esse mortale, si ex negligentiâ & timore correptionem omittant: alij verò si omittant ex tepiditate, aut simili affectu, & non ex intentione, & proposito, non est nisi veniale; nisi fortè damnum proximi esset tam notabile, vt grauius imputaretur nolenti succurrere per correptionem. Granad. & alij 2. p. 4. tr. 4. ref. 228.

2 Etiam in Religionibus non est denuntiandum peccatum occultum fratris Superiori tamquam Patri, sine præniâ correctione fraternâ; nisi in aliquâ Religione aliter per Constitutiones cautum sit, vt rectissimè factum in Societate IESV. (Suarez & alij 12.) quidquid contrà asserat Lorca & alij 3. p. 3. tr. 2. ref. 37.

3 In correptione post secretam monitionem adhibendi sunt testes, etiam qui de crimine nihil antè sciuerunt, quando non reperiuntur alij qui illud

K 2

sciunt;

sciunt; quia illud damnum famæ cedit bono spiritali correpti. Granad. Ordo verò in eâ præscriptus *Matth 18* obligat sub peccato, nisi vel publicum sit peccatum, vel secretò impediri non possit. *Suar. & alij 10.* quamvis contra sentiat *Hurtad p. 5 tr. 13. res. 41. & 42.*

4 Peccata fornicationis in Religione sunt contra bonum publicum, atque adeò Superiori denuntianda: præmissâ tamen correctione fraternâ, nisi quis cesserit iure suo. *Mirand. & alij 2. p. 3. tract. 2. res. 69.*

D

DEBITVM.

1. Quamvis certus de debito, & dubius de solutione, teneatur solvere; quando tamen & debitor & creditor dubitant, probabile est, non nisi partem iuxta qualitatem dubij solvendam. *Layman p. 4. tr. 3. res. 32.*

2. Quando quis multa contraxit debita apud eundem creditorem, potest eligere, vtri malit prius satisfacere; unde si aliquid soluat, id censetur solvere pro